COMMENTATIONES

PHILOLOGICAE TRES

IN

INSTITUTI REGII BELGICI CLASSE TERTIA

LECTAE A

C. G. COBET.

AMSTELODAMI,
APUD JOHANNEM MÜLLER.
1853.

CORRIGENDA IN COMMENT. ALTERA:

Pag. 12 col. 2 tantum erit *lege* tamen exit.

COMMENTATIO

DE

EMENDANDA RATIONE GRAMMATICAE GRAECAE

DISCERNENDO

ORATIONEM ARTIFICIALEM

AB

ORATIONE POPULARI.

SCRIPSIT

C. G. COBET.

Lecta in Instituti Regii Belgici Classe Tertia die XIII m. Maii a. MDCCCL.

Cogitanti mihi, viri celeberrimi, et quaerenti ecquid mihi in Litterarum studiis aut feliciter repertum aut assiduo labore collata undique materia nova luce illustratum esset aut impeditum antea et intricatum ad liquidum esset perductum, quo aut vetus error eximeretur aut augeretur copia rerum, quae Antiquitatis imaginem ac vitam veterum nobis veluti referunt ac reddunt, aliquamdiu anceps et ambigua optio fuit, imprimis eo, quod intelligebam non id agendum ut vobis enucleatum darem aliquid, quod alios ante frustra exercuisset, sed utendum occasione esse, et si quid vel obscurae suspicionis animo inhaereret, unde nova fortasse lux aliquando Litteris affulgere posset, hoc quoque arripiendum ut vestris iudiciis submissum aut probatum novis argumentis confirmaretur aut certe, si me suscepti operis amor fefellerit et ratio fugerit, ipse deterrerer ab quaestione neque exitum nec fructum habitura. Expediam paucis quid velim. Mirari saepe subit cur plerique qui antiquas Litteras attigerunt, quum in Latinis scriptoribus acute viderent et penitus imbiberint Latini sermonis proprietatem et scribendi loquendique usum probe tenerent, tam saepe in Graecis ruerent, ut quae ante pedes essent hebetes ac caeci praeterviderent. Quotus enim quis-

que est, qui tam commode Graece intelligat ut certo iudicio quid Graecum sit, quid non sit, sentire et agnoscere possit, quemadmodum plurimi etiam nunc in Latinis faciunt. Non querar nunc de prima puerorum in ludis litterariis institutione, quamquam haec est prima mali labes, unde in reliqua studia et vitam gliscere assolet, quum illi puerorum sint doctores, qui saepe ipsi nil quod stabile ac certum sit afferre et pro fundamentis substernere valent. Huic malo alias et aliis remedia quaerenda erunt, nos quo serpserit indicabimus. Inhaeret enim vitium idem hinc natum Criticis, quorum est monumenta Graecae humanitatis emendata et in pristinam sinceritatem restituta caeteris legenda proponere. Feruntur enim adhuc scripta Graecorum innumeris obsita mendis, quibus non tantum elegantia Graeci ingenii tamquam nube obfuscatur, sed corrumpitur iudicium, quod ingeniosi scriptores acuere debuissent, notionum, formarum, significationum mira inconstantia et varietate, quae tanta est ut nihil non licuisse Graecis Graecorum scriptorum celeberrimis interpretibus videri videatur. Nihil est tam novum et insolens, quod non exemplis alicunde expromtis confirmari posse putetur: tantas enim esse opes Graeci sermonis, tam inexhaustas divitias ut nihil umquam desit, quo quis bene ac recte uti se posse existimet. Non is sum equidem, qui de copiis Graecorum quidquam detraham, sed male et inique, quae multorum sunt, ad unum omnia deferri contendo. Nempe compertum mihi est sic demum de Graeci sermonis ratione, proprietate, usu recte existimari posse, si in varias partes et aetates descriptus non unus nec simplex, sed multiplex et varius habebitur, quod discrimen non leve nec exiguum, sed tantum esse ponendum statuo, ut pro una lingua Graeca complures indole, ingenio, natura prorsus diversae statuantur, adeo ut nihil, quod sit alterius, sine gravi errore quin etiam sine ridiculo vitio ad alteram trahi possit. Dispescere Graeci sermonis usum in varias patrias et aetates ut non adeo difficile esse

videtur, tamen est quod impedire et morari aliquem possit, nam quae prima est et longe potior pars, quum variae stirpes in Graecia libera ab alieno, id est barbaro, imperio florerent et eloquio uterentur nativo, nondum depravato alienis additamentis sed quale ipsa natura et ingenium gentis veluti insitum sibi et innatum edebat, non caruit artificio illo, quo docti poëtae ornamentis aliunde adscitis patrium eloquium ditarent simul et imprudentes nonnihil admiscerent quod ab indole alienius esset. Accidit hoc dithyrambicis Atheniensium poëtis et Tragicis: apparet autem etiam luculentius in Pindaro sed repetenda res est aliquanto altius. Regnat in prisca Graecia, cuius quidem ingenii monumenta ad posterorum memoriam propagata sunt, lingua Ionum, cera mollior, in omnes formas fingi docilis et sequax, tam apta robori ac virtuti, quam molli inertiae et otio affluenti deliciis, tam bene classicum referens quam fractos tibiarum sonos. Originem et primordia linguae Ionicae eadem nox premit, quae initia rerum ab Ionibus gestarum. Simul nata genuit poësin et carmina, quibus admiratione posteritatis partim servatis exstant pervetusti sermonis vestigia, quae luculenter remotissimam Graecorum hominum memoriam referunt, sed vestigia tantum. Quum ex omni aetate praeclarissimum quodque delibatum carmen ad alterum saeculum propagaretur factum est ut multa, quae olim in populari sermone frequenti usu tererentur postea consenescerent et ex usu populi abirent, nec nisi in reliquiis veterum carminum doctis vatibus intellecta superessent. Hi quoque magis acute sensumque secuti quemdam animi ad carmina incalescentis, ut sibi adesse heroibus illis, ac rebus interesse in gravi pectoris commotione et aestu viderentur, sententiam veterum vatum expiscabantur quam certa rerum et verborum intelligentia mente complectebantur. Dicam perspicue verbo: Iones recentiores, quorum quaedam carmina in Iliade et Odyssea supersunt, fragmenta veterum carminum Ionicorum, quae in

eadem veteris poëseos sylloge exstant, non satis intelligebant, male intellecta imitabantur: hinc labes et corruptela sermonis, quem *artificialem* dicemus, primum orta est. Date mihi paulisper hoc, quod mox demonstratum dabo: videte quo serpere hoc malum debuerit. Ionici cantores in ipsa Ionia caecutiunt ac titubant in veterum vatum carminibus explicandis, in quorum imitatione sibi omnia sunt. Quae olim in honore fuerant vocabula ceciderant: quae cuique olim fuerit subiecta notio, eam temere pro se quisque ex paucis quibusdam locis antiquorum eruit. Iisdem male intellectis in novis carminibus abutuntur. Antiquitatis maiestas, quae veteribus omnibus summa fuit, ut quae plebi non secus atque doctis proxime ad deos videbatur accedere, officit iudicio populi: stupent in obscura quadam et arcana dictionis forma, labitur interea ac perit prisci ac patrii sermonis veritas et vita. Et initio quidem exigua labes est, viget floretque in ore vulgi sana ac lucida lingua avita, cuius particulam tantum longa dies deleverat, paulatim plura ruunt, aliena immiscentur, admiscentur diversa. Imitatio veterum, quae in antiquioribus non sine divite vena fiebat ab iis qui ad similem laudem ingenio ferebantur, recedit in illos homines, qui ingenio fere destituti nil nisi fabularum veterum seriem panderent hexametris, laciniis veterum et centonibus undique in unum collatis. Pendent ab Homero, aut quocumque tandem nomine appellandus est is vates praeclarissimus cui magna pars Iliadis debetur, ab eo igitur pendent caeteri vates Ionici, qui reliqua adtexuerunt: pendent qui diu postea, sed in libera Graecia, in Ionica plerique, perpetuo carmine caeteros μύθους civitatum et insularum Ionicarum panxerunt, pendent ab his omnibus Attici, qui heroicam aetatem lingua heroica conabantur referre, in quibus omnibus adeo non *veritas* Graeci sermonis apparet, sed *artificiale dicendi genus* non omninò ab erroribus immune in tanta facilitate errandi et venia, uum nemo unus viveret, qui in hoc genere caeteris acutius

cerneret et meliora sciret. Nemo ante Aristarchum perspexit veteris Ionici sermonis rationem, deque proprietate et usu loquendi exposuit non e fallaci sensu lectione et auditione poëmatum collecto, sed ratione et iudicio Grammaticae disciplinae, quae constantiam quamdam in dicendo requiri intelligit ut de iisdem eadem dicantur: nam sic aliquid demum bene intelliges, si qui dicit aliquid aut canit id ita dicit, quemadmodum tu ipse tibi ex necessitate et genio sermonis dicturus in tali re fuisse videaris. Verum Aristarcho idem offecit quod Ionibus paulo minus antiquis, quod postea Atticorum tragicis offecerat, quum poëticam heroicis personis convenientem dictionem ex illa lingua, qua prisca carmina scripta essent, multa arte et labore fingerent. Pauca quaedam tulerant aetatem ex ingenti numero veterum carminum: haec paucitas obruebatur, ut hodieque obruitur, magno versuum numero, quos *διασκευασταί* et imitatores docti et indocti (i. e. qui sinceritatem priscae dialecti Ionicae aut servabant aut non servabant) de suo adiecerant, quique perperam accepta aut etiam non intellecta in rem suam vertebant. Sed age hoc primum documentis et exemplis probemus. Luculentum exemplum est in illo poëta Ionico, cuius versus elegantissimi (quamquam artificiali non nativo sermone scripti) leguntur in Odyss. XI. 582.

καὶ μὴν Τάνταλον εἰσεῖδον κρατέρ' ἄλγε' ἔχοντα
ἑςαότ' ἐν λίμνῃ, ἡ δὲ προσέπλαζε γενείῳ
ςεῦτο δὲ διψάων, πιέειν δ' οὐχ εἶχεν ἑλέσθαι.

apparet, ne alia vitia sermonis in hoc loco tangam, *ςεῦτο* sic esse positum, ut significet *stabat*, atqui veteres Ionum cantores, qui saepe *ςεῦται* et *ςεῦτο* usurparunt in Iliade, nusquam alio sensu posuerunt quam pro *διωρίζετο, διεβεβαιοῦτο, asseverabat, contendebat, affirmabat.* Secutus soni quamdam similitudinem imitator pro *ἔςη, ςῆ, ἵςατο* posuit. Idem in eodem loco *ἑλέσθαι* dixit incogitanter quum deberet *λαβέειν* aut simile quid in ean-

dem sententiam. Idem neglexit Ionicam prosodiam in *προσέπλαζε*, qua in re *διασκευασταί* facillime deprehendi possunt. Sed revertor ad Ionicum *στεῦται* et *στεῦτο*: unde sit natum nemo dixerit, nec veteres ipsi sciebant, nec reperiri ullo modo vel vivo Aristarcho poterat. Plurima de genere hoc sunt in vetere Ionica lingua: quid sit *γέντο* in *γέντο δ' ἱμάσθλην* ac similibus nemo veterum umquam scivit et nos in perpetuum ignorabimus Qui optime Ionica tenebat Aristarchus omnibus affluens in tali re subsidiis et apparatu nil nisi ex ipsa sententia vel contextu, *ἐκ τῶν συμφραζομένων*, ut ipse ait, apparere dicit *γέντο* fere idem quod *ἔλαβεν* esse debere. Alia ratio est eorum verborum veterum, quorum et origo simul et significatio periit, nec nobis solum, sed veteribus adeo ipsis: quid sit *τηλύγετος*, ut hoc utar, quid *νήδυμος*, quid *διερός*, quid *ἀγέρωχος*, quid *ἀμύμων*, quid multa huiuscemodi ecquis est, non dico qui nunc sciat sed etiam Atticorum veterum qui sciverit. Non Solon haec intelligebat, non Aeschylus, non Sophocles talium sectatores. Iidem tamen talia ipsi usurpabant, ita quidem ut aliquam notionem iis subiicerent sibi sententiaeque congruentem, sed non veram nec certa fide ac doctrina nixam. Dabo exemplum unum sed luculentum. Antiquissima dialectus habebat adiectivum aliquod *ἀμαιμάκετος*, quod quid sit, unde natum, quae notio insit nemo umquam dicet. In poëseos Ionicae reliquiis ter exstabat, bis habet Ilias, Odyssea semel. Eorum locorum ea ratio est, ut inter se comparati nil prosint ad eruendam obscuri vocabuli significationem: malum navis Ulyssis *ἀμαιμάκετος ἱστός* dicitur Odyss. 14, 311, in Iliade est Chimaera *ἀμαιμακέτη* 6, 179 et 16, 329. *Praelongum malum* interpretantur esse, Chimaeram bello *insuperabilem:* temere, uti manifestum est, secuti fallacem quemdam sonum vocis modo a *μῆκος*, *μακρός* nescio qua affinitate repetunt, modo vocabulis *μάχη* et *ἄμαχος* cognatum esse suspicantur magis quam credunt. Quid multa? hausit

dies omnia, stirpem vocabuli, notionem et usum: superest figura muta, paene dixerim. Spectate nunc quid Tragici faciant. Canit chorus Sophocleus Oed. C. 124.

πλανάτας τις ὁ πρέσβυς οὐδ'
ἔγχωρος· προσέβα γὰρ οὐκ
ἄν ποτ' ἀςιβὲς ἄλσος ἐς
τᾶνδ' ἀμαιμακετᾶν κορᾶν.

Putemusne Sophoclem intelligere quid dicat? quid *velit* ignorare non negaverim. Sed subiecit vocabulo muto et sensu vacuo Atticis notionem quam voluit. Sonora vox est et aures implens et in hoc argumento aptissime refert sensum illum sacri horroris, quem spirat chori consternati carmen. At totum hoc artificiale est nec verum, quin etiam vitiosum est ac temerarium [1]. Parcior est in his Euripides, luxuriat ingenium

---

[1] Ex aliis exemplis quae multa sunt et varia non possum quin unum addam, quod etiam latius patet. Est in carminibus antiquis semel lectum vocabulum *κρήγυον*, quod quid valeat et unde sit natum omnes olim iuxta ignorabant atque nos hodie omnes ignoramus. Legitur in notissimo Homer loco:

μάντι κακῶν, οὐπώποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπας

Aristarchus putat eos falli, qui credant significare *verum*, quum sit *bonum*, *iucundum*, *gratum* idque apparere ex oppositione sequentium:

αἰεί τοι τὰ κάκ' ἐστι φίλα φρεσὶ μαντεύεσθαι

at multi alii locum interpretantes suo more ac iudicio acceperunt aliter et *κρήγυον* ipsi dixerunt pro *vero:*

ποιμένες, εἴπατέ μοι τὸ κρήγυον, οὐ καλός ἐμμι;

apud Theocritum est *verum mihi dicete:* qui postea Dorice scribebant Pseudo-Pythagorei saepissime *τὸ κράγυον* et *κραγύως* et *τὰν κραγυότατα* adeo dixerunt interdum pro *vero*, saepe pro *grato ac suavi:* omnes arbitratu suo tribuentes

Sophocleum, bacchatur in hoc quoque genere Aeschylus, cuius *ῥήμαθ᾽ ἱπποβάμονα* saepe non carent illo vitio, quod condonari potest, quin etiam debet, ab ingeniosis lectoribus ad aestum furentis vatis eadem flamma excandescentibus, negligi ab Grammatico nec debet nec potest, ne Graecus sermo sine lege sine ratione ubicumque ferri in praeceps et ruere existimetur, quo non est alius ullus ad sanae mentis simplicitatem et, si ita dicere licet, serenitatem accommodatior. Innatus elegantiae et pulchri sensus passim Atticos poëtas in summo *κακοζηλίας* periculo servare ab istis orationis obsoletae et affectatae ineptiis solebat: abutuntur illi quidem sed eleganter et splendide abutuntur veterum reliquiis, quibus novam vitam insigni artificio reddere nitebantur, sed frustra: aliud erat periculum in verborum novorum compositione aut derivatione, quod Tragicis est cum caeteris omnibus commune. Nempe omnes Graeci non minus copia linguae praesentis utuntur, popularium communi et constanti usu firmatae, quam certae ac stabilis analogiae ope fingebant sibi quisque extemplo, quo in rem praesentem commode uteretur. Vulgus hominum in hoc genere quo minus ingenio valet, eo magis cautum est; multos saepe aut iracundia effert aut dicacitas ut eliciant aliquid novi, quod non sit dictum prius, reliqui ut quisque est ingeniosissimus, ita plurima inter scribendum aut canendum effundit caeteris indicta, suaviter, lepide, splendide formata: verum in hoc quoque artificio labuntur interdum et dormitant. Notum est quid ipsi Sophocli acciderit, qui quum *anchoram navis* magnifice efferre vo-

---

vocabulo vim ac potestatem quam lubebat, non minus quam Sophocles *κόρας ἀμαιμακέτας* nuncupavit. Nemo haec certo intelligebat: multos deliniebat vetusti nominis gravitas ac pondus. Supersedebo in hac horae brevitate aliis exemplis, quorum affatim est in Tragicorum Atheniensium fabulis et fragmentis.

luisset, ut *retinaculum* navis diceret scilicet, a verbo ἴσχειν effinxit νηὸς ἰσχάδα parum memor plebeium esse ac vulgare nomen *ficuum*. Alius poëta non minus infeliciter ἔκτορα *retinaculum* dixit ab ἔχειν, recte quidem ex analogia, ridicule ad usum. Excellens Aeschyli ingenium effecit ut in summo splendore dictionis perraro ad ineptias delapsus sit, paulo saepius Sophocles, aliquanto frequentius Euripides, qui quum esset ingenio ad philosophiam quam ad poësin aptiore utramque rem sic coniunxit, ut mediocris esset in utroque genere, in sententiis ad vitam regendam excellens artifex, in dictionis luminibus inops et interdum subineptus, ubi ea studio ac labore sectatur, quae ingenio ac naturae adversarentur, quale est in Phoenissis:

ὡς δ' ἐπεζάρει Σφὶγξ ἁρπαγαῖσι πόλιν

quod dubitant veteres ipsi sitne ex Aeolide sumtum an ex Arcadia. Perperam profecto, undecumque est, fuit in Atticam poësin invectum. Quod in vicinia legitur:

μαθὼν δὲ τἀμὰ λέκτρα μητρῴων γάμων

ipsius poëtae vitio impeditum est aliena ab ingenio laboriose contexentis. Sed quid attinet cumulare quae facile undique coacervari possunt? quid praeter singulorum verborum formas ac notiones multas sententiarum compositiones carpere, quae non ex natura Graeci sermonis, non ex Atticorum more et consuetudine, sed ex laborioso artificio nata in omnium Atheniensium linguam recepta fuisse nunc existimantur. Contra contendo componentibus ex reliquiis antiquitatis Graecae populi Graeci sermonem id imprimis agendum esse, ut vera lingua populi ab artificioso doctorum poëtarum eloquio diligentissime ubique distinguatur, quo facto demum apparebit quam

futili vel potius nullo fundamento nitantur pleraeque istae licentiae, varietas et mobilis ac levis inconstantia, qua nihil satis firmiter consistere, sed pleraque vulgo fluitare et caeco impetu ferri putentur. Lingua *populi* est communi semper iudicio in optima quaeque conspirantis, quae sana sint, quae simplicia et consentanea naturae, simul lepide et acute reperta usu probantis, vana, affectata, aegra omnia negligentis et contemtu opprimentis ac delentis. Lingua non est *paucorum*, etiamsi eruditione ac labore perpauci vincant universos. Possunt interdum pauci multorum depravare iudicium et vitiis inquinare eruditis quod in societate hominum candidum erat et simplex et rectum. Sed maior esse solet vis veritatis et obsolescunt mox atque evilescunt quaecumque insanis vulgi cupiditatibus in nimio honore fuerunt; usu venit hoc in Graecia libera: Comoedia vindicavit patrii sermonis, quem Tragoedia corruperat, nativam simplicitatem ac poenas dederunt Comicis et populo Tragici ampullarum, quas plurimas effuderant.

Sed vereor ne si illa persequar a proposito longius sit digrediendum. Illuc redeo, ut ostendam quantopere illa dictio arte quaesita a quotidiano et vero Attico sermone diversa fuerit: atque tantopere quidem differebat, ut pueri in ludis litterariis illam sedulo docerentur, neque hoc tantum sed lexica etiam ferrentur, unde sibi quisque veterum verborum significationes et explicatus, ubi opus esset, haurire possit. Omnis liberalis institutio a poëtarum veterum lectione ducebat initium. Atticorum pueri igitur *glossas Homericas* docebantur, sed magistris utebantur huiusmodi, qui temere ex singulis locis quod sententiae satis convenire videbatur, id pro certo affirmarent, unde mirae et absurdae interpretationes ferebantur impune, donec tandem grammatica ars effulsit, sed animis Graecorum servitute fractis et exstinctis in communi omnium calamitate ingeniis. Pueruli Attici prima legendae poëseos tiroci-

nia in Theognide ponebant, unde notum proverbium de re pervulgata et vel pueris nota: "*hoc iam sciebam antequam Theognis nasceretur:*

τουτὶ μὲν ᾔδειν πρὶν Θέογνιν γεγονέναι.

deinde Homerum legebant ac caeteros poëtas imprimis Ionicos, Anacreontem, Simonidem alios, quorum ῥήσεις recitare et cantare nemo paullo humanior erat etiam in re tenui qui non scite et commode posset. Elegans imprimis et memorabilis hac de re locus est, quem Galenus ex deperdita Aristophanis fabula servavit, ubi duo fratres inducebantur, alter bonus et frugi, optimis studiis et artibus imbutus, alter nequam et garrulus, protervus, impudens, causidicorum et rabularum calumniis et fraudibus innutritus, ex quo quaerit frater: dic mihi, si nosti, quid significat apud Homerum κόρυμβα ex libro τῶν γλωσσῶν? deinde quaerit ex eodem quae sint in Homero ἀμενηνὰ κάρηνα, non habet quod respondeat, ut qui numquam his studiis quidquam operae dederit, atque adeo ut ἀπαίδευτος et omnis liberalis doctrinae expers a fratre et patre irridetur. Alius locus est in Comico Stratone apud Athenaeum IX, 382, qui lepide inducit coquum meris vocabulis priscis Homericis utentem atque sic bonum Atheniensem, qui nihil de his intelligebat, obtundentem. Quot invitasti μέροπας ad coenam? quaerit. Egone μέροπας ad coenam? Satin sanus es? tu me istos μέροπας nosse putas? Nullus aderit. Nempe hoc erat reliquum ut etiam μέροπας invitarem ad coenam. — Nullus igitur aderit δαιτυμών? deinde alia similia: μῆλα θυσιάζεις; quaerit. Non equidem. nihil horum sed προβάτιον. Nonne igitur, inquit, μῆλα dicuntur πρόβατα? quid? μῆλα sunt πρόβατα? nil equidem horum per Iovem intelligo, neque cupio etiam. Itane non nosti Homerum sic loqui? Licebat Homero loqui quidquid libuerat, sed quid hoc

ad nos attinet? Loquere humano more mecum. Frustra. Pergit poscere οὐλοχύτας, tum πῆγος, tum alia monstra verborum, quae hercle nemo intelligere poterat.

μίζυλλα, μοίρας, δίπτυχα, ὀβελούς

ut equidem Philetae libros quaesiverim ut quid ista verba significarent, discerem *." Ne mica quidem salis in hoc loco est, nisi vulgus popularium veterem Ionicam linguam ignoravit. Quanta autem levitas eorum fuerit qui olim glossas interpretarentur Aristarchus ostendit, in cuius aureis fragmentis, quae in Veneto codice ad nos pervenerunt, saepius eorum temeritas castigatur. Uno defungar exemplo: in Iliados IX, 540, de apro Calydonio legitur:

ὃς κακὰ πόλλ' ἔρδεσκεν ἔθων Οἰνῆος ἀλωήν

quum ignorarent quid esset ἔθων temere et impudenter interpretabantur βλάπτων, nulla alia de causa nisi quod sic tolerabilis sententia exiret. Aristarchus primus vidit ἔθων, unde εἴωθα et ἔθος in communi sermone haeserant, significare ἐξ ἔθους ἐπιφοιτῶν, συνήθη πράττων, ut alibi παῖδες ἐριδμαίνουσιν ἔθοντες i. e. *de more* ut solet vertere Virgilius. Dubitari non potest quin istae explicationes tam falsae quam leves sint antiquissimae: ipse Sophocles

---

* Si quem iocosissimum locum ipsum inspicere iuvat, dabo hic illic emendatiorem, vs. 3, leg. ὧν ἂν λέγῃ συνίημι, vs. 9, τοῦτο γὰρ νὴ τὸν Δία ἔτι κατάλοιπον non ἔστι vs. 21, μὰ Δί' ἐγὼ μεν οὔ. οὐδέτερον αὐτῶν προβάτιον. δ'. οὔκουν, ἔφη, τὰ μῆλα πρόβατα; μῆλα πρόβατ'; οὐ μανθάνω ἔγωγε τούτων οὐδὲν οὐδὲ βούλομαι. vs. 26. Ὅμηρον οὖν οὐκ οἶσθα λέγοντα; vs. 42. ὥστε με τῶν τοῦ Φιλητᾶ λαμβάνοντα βιβλίων ζητεῖν ἕκαστον τί δύναται τῶν ῥημάτων.

narratur ab Ione Chio, aequali et amico, recte refutasse arrogantem grammaticum in insula Chio, qui vetus verbum Ionicum perperam et inepte accipiens pulchrum versum Phrynichi inique carpebat: quem inscitiae arguens Sophocles locis e Simonide et Homero allatis veram loci Phrynichei sententiam aperuit. Praeclarum est hoc Ionis Chii fragmentum apud Athen. XIII, p. 603 sq.

Haec omnia reputanti subibit animum cogitatio quae tandem pars Graecarum litterarum, quas multiplices et varias esse statuimus, nativam populi linguam referat, quae contra ornata et elaborata ad priscam dictionem artificio scriptorum quam proxime fieri potuerit accedat. Moerenti animo ingentem litterarum iacturam factam esse intelligimus, ut de Doricis, de Aeolicis litteris, deque earum ingenio et indole recte cognoscenda actum et conclamatum sit. Supersunt tenues quaedam reliquiae, nec ipsae satis integrae, sed miserum in modum stupore librariorum in his prorsus nihil cernentium mutilae et corruptae. Quis sibi Alcaeum aut Sapphonem audire eorumque linguam nosse potest videri in laceris quibusdam laciniis, quas perpetuis coniecturis inter legendum sarcimus, idque saepius sine fructu. Quis Siculam linguam novit, qua Sophron et Epicharmus scripserunt? quis Laconicam Alcmanis aut Creticam Thaletae, aut Rhodiam Pratinae, aut Boeoticam Erinnae ex raris sententiarum aut etiam singulorum verborum ruderibus. Sepulta haec omnia dudum sunt, nisi qui Graecis litteris damus operam eorum imitari velimus ineptias, qui linguam Umbrorum aut Etruscorum ex aliquot centenis vocabulis quae aut grammaticus Romanus aliud agens commemorat aut vetus lapis exhibet, se tenere putant. Sepulta haec sunt, inquam, sed in Ionicis videtur lux affulgere laetior. Herodotum integrum legimus, Hippocratis plurima, multa multorum omne genus fragmenta, atque Homerum, Ionum omnium principem ac fere deum: a quo cogitare, a quo dicere

discebant omnes. Fateor: at vel sic tamen linguam Ionicam nemo sic callere potest, ut animo et cogitatione in Ionia cum Ionibus una vivere et colloqui cum iis possit. Quae sit popularis lingua ignoramus, qua inter sese in otio et negotio, in omni vitae ratione loquerentur et colloquerentur. Ad aciem aut pompam apparata sunt omnia: quaesita arte vocabula, arte inter se apta et nexa nil ex grata vitae communis negligentia, nil nisi sedate, composite ad elegantiam aut magnificentiam dicendi. Frustra quaesiveris in Ionum reliquiis dictionem et eloquium populare, plebeculae etiam, quae rectius ac melius sensa pectoris patrio sermone edit quam poëta quilibet omnibus dicendi luminibus. Deinde alia est in Ionicis calamitas, prope dixerim, quaepropter numquam quamvis eruditus philologus eam sibi comparabit Ionicae linguae facultatem, qualem ex Atticis monumentis haurire datur. Multa sunt saecula, quibus floruit: multae igitur sunt vicissitudines, quas mutata rerum in Ionia conditione etiam lingua sensisse debuit, ut sensit: sed effecit admiratio antiquorum, ut non sua quisque et aequalium lingua scriberet, sed priscam illam Homericam referre conaretur, eorum saltem quorum integra scripta terimus, nam in fragmentis poëtarum non idem omnibus color est, et aliud est Anacreontem legere, aliud Simonidem, aliud Archilochum. Contra Herodotus totus pendet ab Homericis carminibus, tota operis compositio et habitus, conformatio sententiarum, verborum, locutionum forma referunt Homerum: non minus Hippocratica scripta, quorum summa simplicitas habet et granditatem verborum et maiestatem illam gravem simul et candidam quae in veterum cantorum versibus tam grata accidit. Nil novicium spirant nec recens neque aequalibus acceptum aut temporibus suis aut rebus: quemadmodum Attica illa aedificia Periclis statim surgentia antiquitatis quandam speciem quae animos percelleret prae se tulisse a Plutarcho dicuntur, post aliquot saecula novitatis quamdam gratiam

semper retinere videbantur, sic Herodotus et Hippocrates nec veteres nunc esse videntur nec quum primum scriberent potuere videri recentes: eodem modo, quo Homerum, quem omnes iuxta quis fuerit ignoramus, in senectutis maturitate scripsisse sentimus, sic illos Iones, qui eodem ingenio in eadem patria fuerunt, nec novos umquam fuisse sentimus nec longa die veteres fieri comperimus. Quale sit autem hoc, quod dixi, non apparere in Ionum scriptoribus discrimen temporum nec vicissitudines, quas lingua tractu temporis subire debuerit, luculenter apparet ex illis scriptoribus, qui dialecto non tantum artificiali, ut veteres, sed recocta scripserunt. Vel unus Aretaeus Cappadox argumento poterit esse. Scripsit post Tiberium et scribit Ionice tam suaviter, tam terse, ut in media Ionia ante aliquot saecula natus nonnullis videatur: sed utitur hic quoque Homerica lingua et Hippocratica, quam incredibili studio elegantis vir ingenii satis feliciter retulit, ita tamen ut laboriosum artificium pelluceat: eloquio Veterum utitur et laciniis, sonat totus Ionicum, nil nisi vita operi deest et natura. Nemo autem vivo Aretaeo ita loquebatur, ut ille scribit: quis dubitet? verum quis vivo Hippocrate aut Herodoto sic ut illi scribunt loquebatur? Nemo sane. Superarunt aequales omnes suaviloquio: dulcedo orationis incredibili suavitate afficit et delinit legentis animum, sed non ita afficit ut cum eo una esse et una vivere et audire loquentem videare et ipse eadem lingua, si res ita tulerit, responsurus.

Mihi quidem in illorum lectione animus sic afficitur, ut credam me videre aliquem, qui summa ope ingenii omnia sic parat ut optima et pulcherrima sint, ut in summa simplicitate lateat summa ars anxie sollicita ne quid desit, ne quid obsit, etiam ne quid arte effectum putetur. Cum cura omnia apposita sunt, cautum undique est ne quid iure carpi aut reprehendi possit: videtur ergo omnibus paucorum esse idem efficere. Con-

tra in veritate sermonis naturalis, quem natura fundit, mens ac ratio componunt sed ita ut sponte omnia fluant atque unusquisque audiens vel legens in animum inducat sese, si idem dicere debuisset, non aliter quam sic fuisse dicturum. In particulis quibusdam veterum carminum quae in Iliade continentur auditur illa naturae vox, naturali sermone edita quae quantopere ab artificiali et voce et oratione differat aliae partes eorum carminum satis declarant. Componat mihi aliquis Andromaches verba ad Hectorem libro VI, cum eiusdem lamentis in extremo carmine. Si quis ea eiusdem temporis, eiusdem poetae existimabit esse, nae ego illi frustra veram linguam Graecam ab artificiali distinguere voluisse videbor. Sed properat animus in Atticam, ubi illa floruit dictio in ore totius populi, quae nihil alienae opis indiga, suis ipsa divitiis potens eo pulchrior est, eoque suavius afficit audientes, quo magis est ab omni erudito artificio remota. Ipsa natura videtur Atticos bene ac terse dicere docuisse: nihil est in illo sermone quaesitum, affectatum, comptum. Suum est cuique rei nomen, sua est singulis cogitationibus ac sententiis forma: inest in illo sermone, ut in omni cultiore ac perpolita lingua anxia quaedam et elegans morositas, quam vel levissima quaeque offendunt. Quidquid innovaveris, mutaveris, transposueris, vitium est, non ut Graecum non sit quod dixeris sed ut non Atticum. Incredibile dictu est quanta sit multitudo rerum, quas inter loquendum Attici diligenter observent, quam arctis vinculis consuetudinis Atticae constringantur, ut non hac sed illa forma vocabuli recte uti possint, non hoc sed illud vocabulum bene usurpare liceat, neque id hoc sed illo loco ponere, ut Atticum esset quod dicerent. Haec illi omnia in dicendo non studio sectantur, non diligentia, sed insitum a natura est, ut nil nisi sanum ferre possent aures et mentes. Mira res est ac paene incredibilis iis certe, qui patrii sermonis sinceritatem audiverunt ab teneris unguiculis deprava-

tam in ore vulgi, in doctorum et oratorum dictione longe diversam, et vitiis purgatam illam quidem sed calamistris inustam, comptam et tam mundam, ut publicum vitare oporteat, ne quid illa munditiès ceterorum contactu contaminetur. Habemus etiam hodie, quicum comparemus illam quam dixi elegantem, morositatem, (nam non reperio aptius nomen) quae multa fastidiose respuit, quae ceteris satis ornata habentur et delicatissimum quodque iudicio omnium probatum delibare amat.

Idem habent Galli, idem imprimis Etrusci ut nil ferant teretes populi aures, nisi quod simplex et elegans sit. Transposueris vocabulum, perinde esse videtur tibi, illis peccasti, nam usu omnium vocabula in illa compositione sic disponuntur ut illud praecedat, hoc in fine ponatur. Nulla est sine periculo optio, nec vocabuli, nec locutionis: usus in populo loquaci certa lege definivit omnia; ubi lex non est, analogia et iudicium aurium monstrat viam, nobis ancipitem, illis certam. Nil est quod miremur Theophrastum, qui sibi et aliis egregie Attice loqui videbatur, in foro olitorio pro hospite esse habitum. Supersunt Atticorum scripta. Superstes est illa lingua Attica tota, in praeclarissimo quoque ingeniorum Atheniensium monumento. Hanc demum totam cognoscere nostrum est ad hunc finem quoad cum Atticis Attice loqui haud incommode possimus. Magni laboris est, fateor, sed parum Attice sciemus semper, donec sic didicerimus, ut ipsi usu edocti, aure admoniti aliena et vitiosa si minus tam facile saltem tam certo agnoscamus, quam videmus Gallice doctos aut Etrusce statim merito improbare quidquid a proprietate et usu loquendi et elegantia recedit. Occurrendum erat fortasse nonnullorum dubitationi, qui credant effici id non posse in Attico sermone, quod in Gallico, qui vivus volitat per ora virûm et incredibili fere scriptorum numero frequentatur. At vero si omnia scribendi genera

ad nos perdurarunt in luculentissimis optimi cuiusque operibus, si sibi constant omnia, ut certus sit usus, adeo ut idem ubique eodem modo, imo etiam eodem verbo dicatur: si nulla umquam optio datur dubitanti ut non plura, sed unum sit necessarium ac solemne ac proprium, sequitur ut plane constet de omni forma orationis, quae in quocumque argumento sola recta est ac proba.

Sed gestit animus illud quod dicam exemplis quibusdam in clara luce ponere. Facetus imprimis est Aristophanis locus apud Stobaeum Floril. tit. 121, 18, ubi in Orco apud Plutonem omnia laeta et iucunda esse demonstrat scilicet: nomen ipsum *Πλούτων*, inquit, divitias et opima omnia indicat. Si quid in trutina ponderas, quod pondus habet vergit ad inferos, quod inane est ad Iovem, neque etiam defunctos coronato capite et unguentis delibutos proponi moris esset, nisi statim post descensum ad inferos potandum foret. Grotius, ut solet, eleganter vertit:

»nec collocare, credo, mos esset sitos
unguentis delibutos, vinctos floribus
nisi potandum protinus esset mortuis.«

haec Graece sic dicuntur:

οὐ γὰρ ἂν ποτε οὕτως ἐστεφανωμένοι
προὐκείμεθ' οὐδ' ἂν κατακεχριμένοι
εἰ μὴ καταβάντας εὐθέως πίνειν ἔδει.

iocosa sententia satis facile ex verbis pessime habitis pellucet. Sed Aristophanes numquam potuit ista sic dicere, in quibus nec metri ratio constat nec dictionis Atticae. Opem ferre labanti poëtae conatus est Iacobsius in Lectt. Stobensibus, p. 2, ita ut reponeret:

[illegible] κρᾶτα καταικεχρισμένοι [illegible]

ex quibus coniecturis quantopere violetur lingua Attica patebit ostendam. Mortuus non aliter dicitur Attice quam uno modo τεθνεώς, in quo prima syllaba semper certa lege corripitur: reduplicatio numquam positione produci potest: si fuisset producenda augmentum ponitur, ut in ἐτεθνήκει. Contra τέθνηκα apud Iones necessario primam productam habet, et τεθνεώς apud Iones est dactylus, quum tribrachys sit in Attica lingua. Hinc Tragici in sermone mixto ex Ionica vetere dialecto et patria pro re nata aut correpta utuntur aut producta; Comici, qui veritatem sectabantur, si produxissent, ridiculi fuissent existimati. Sed aliud insigne gravius vitium: mori Attice est ἀποθνήσκειν, neque simplici verbo locus est neque illi alii composito; deinde ἀποθανοῦμαι et ἀποθανεῖν dicebant, non θανοῦμαι. Qui secus diceret, vitio diceret. Contra tragoedia utitur veteri lingua et θνήσκειν usurpat et κατθνήσκειν et θανοῦμαι et κατθανοῦμαι et θανεῖν et κατθανεῖν, quibus si quis extra tragoediam esset usus, aut καταθνήσκειν vel καταθανοῦμαι dixisset, contemtus fuisset ut minus bene locutus contra omnium morem atque usum. Similiter nimis vulgare ac plebeium fuerat in gravi carmine ἀποθανεῖν collocasse vel ἀποθανεῖσθαι; tanta est in his morositas ubi omnes recte ac proprie loqui solebant: itaque aeque absonum est Graece ἀποτεθνάναι aut κατατεθνάναι aut κατατεθνάναι scribere, quas formas omnes in omni dialecto non ratio, non analogia improbat, sed respuit usus, quem penes est ius et norma et arbitrium loquendi. In sqq. duplex est grave sermonis vitium: οὐδ' ἂν κρᾶτα καταικεχρισμένοι placuit plerisque, alii κρᾶτα κεχρισμένοι aut κάρα κεχρισμένοι maluerunt, in his summi critici, quales sunt Tyrwhittus et Gaisfordius. At vero κρᾶτα aut κάρα respuitur a quotidiana ac vero Attico sermone, quo caput κεφαλὴ dicitur

neque ullo alio nomine dici potest sine vitio. Tragicis licebat χάρα dicere ex artificiali sermone, κρᾶτα et καρήατα et κάρηνα licebat, sed abstinere maluerunt. Comicis autem, oratoribus, philosophis, historicis, omnibus denique, qui aequalium temporum imaginem et speciem referunt, necesse est aequali popularium sermone uti et risum praebuissent omnibus, si quid huiuscemodi in veram sinceramque linguam putide invexissent. Neque etiam κεχειμμένος Atticum est vocabulum, quia Athenienses Aristophani aequales κέχυμαι dicebant et χεῦμα: recentiorum Graeculorum error est κέχευμαι contra certam in talibus analogiam scribere. Denique καταχεῖσθαι et ratio respuit et usus; non est in tali notione praepositioni locus. In extremo fragmento legitur: καὶ χοάς γε χέομεν αἰτούμεθ' αὐτοὺς δεῦρ' ἀνιέναι τἀγαθά. Libare non est χέω sed χέομαι; itaque χεόμενοι pro χέομεν tandem bene repositum est a Seidlero: infeliciter χείομεν coniecerat Grotius, formam priscam Ionicam obtrudens poetae, quae illis priscis temporibus pro χέωμεν coniunctivi aoristi scribebatur, neque id sine errore, nam duplex inest vocabulo digamma, quod utcumque expresserunt Iones minus antiqui ut καυάξαις in notissimo Hesiodi loco pro κάϜϜαξαις, εὔαδεν, αὔλαχος, αὐώς, αὔρηκτος, et quae eandem analogiam sequuntur ἔσσευα a σέϜω et ἀλεύατο ab ἀλέϜεσθαι. In ἀνιέναι τἀγαθά metricum vitium est, namque prima in ἵημι apud Atticos producitur, id est semper et ubique producta est, nulla est in his inconstantia: certa haec omnia sunt nec umquam a quoquam moventur. Itaque Bergckius de suo correxit:

αἰτούμεθ' αὐτοὺς δεῦρο τὰ καλ' ἀνιέναι

sed pro vitio prosodico grammaticum invexit; nemo umquam dixit aut potuit dicere τὰ καλὰ ἀνιέναι, numquam Graeci ab Diis τὰ καλά sed τἀγαθά precibus flagitabant. Geminum est ἀνεῖναι

[illegible]. In eodem fragmento [illegible] paucis versibus aliud mendum superest, quum scribitur:

[illegible] γὰρ ἐξ [illegible] τοῦ [illegible]

[illegible] quid humano sermone unquam in Attica [illegible] dixit pro [illegible]: dixere Graeculi recentiores, qui quum promiscue formis corruptis [illegible] et [illegible] uterentur pro [illegible]. Veterum sua loquendi vitia affricant antiquis, animis patienter id ferentibus Editoribus. Fertur hodieque Homeri [illegible] εἰς [illegible] quae est foedissima barbaries pro [illegible], ut Graeculi Byzantini quum [illegible] pro [illegible] dicere soliti essent, ubicumque [illegible] legeretur temere et inepte scribebant, unde decepti multi sunt critici, in his Hermannus, qui in vetustam Atticorum cantilenam [illegible] invexit. Plena sunt Criticorum scripta exemplis, unde apparet omnes literarum partes confundi ac perturbari ab librariis, ab ipsis criticis ac misceri quadrata rotundis. Sed absolvam paucis. In fragmento Philippidis Comici apud Stobaeum, 18, [illegible] pater increpat filium his verbis: *non potes nunc te purgare ut antea [illegible] fui, mi pater, peccavi, fateor.*

[illegible] ἐστ' ἀπολογήσῃ [illegible], λέγοντα [illegible]
ἡμάρτηκ', ὥσπερ πρὸς σὲ συγγνώμης τυχεῖν

corrupta sunt ὥσπερ πρὸς σέ. Sententia requirit: *sicut antea.* Iacobsius reponit:

ὡς τὸ πρῶτον σε συγγνώμης τυχεῖν

sed hoc ex Homerica aetate est et in Philippide haud minus absurdum quam si [illegible] pro ἡμαρτον, pro τυχεῖν dixisset [illegible]

Ἀνὰ Attice dicitur aut πρόσω aut τὸ πρόσω et hoc ipsum scripsit Philippides ut vestigia corruptae scripturae evincunt [illegible] τε πρόσω σέ [illegible] et [illegible] τὸ πρόσω [illegible] lineola distant in veteri libro litteris uncialibus exarato. Similiter in omnibus reliquis in promtu habere oportet quid usus loquendi ferat, quid quomodo ab Atheniensibus dicatur: ita quia non observanda demum quaedam apparebunt proprietates, a quibus ne latum quidem unguem veri ac genuini Attici in dicendo deflectunt. Verbum παίω, ut hoc utar, in usu erat pro verberare, plagam infligere: ubi futuro et aoristo opus erat πατάξω et ἐπάταξα dicebant; ubi passivi aoristo ἐπλήγην, futuro πληγήσομαι; ubi perfecto in agendi notione πέπληγα. Itaque quaerebatur in iudicio πότερός τις πρότερος ἐπλήγη ἢ ἐπάταξε: ubi praesenti opus erat in eadem re τυπτόμενος dicebatur. Caetera omnia, ut ἐπαισάμην et ἐπαίσθην et πεπαίσμαι aut παίσομαι, aut πλήξω et πλήξομαι, et πεπληγμένος ex Attico sermone exulant. πλήξω et ἔπληξα apud tragicos solos leguntur. Conicere in carcerem est εἰς τὸ δεσμωτήριον ἐμβάλλειν, at coniici non ἐμβάλλεσθαι sed ἐμπεσεῖν ὑπό τινος. Capere urbem dicunt πόλιν αἱρεῖν sed capi non αἱρεῖσθαι sed ἁλίσκεσθαι et ἁλῶναι. ποιεῖν τινά τι habet passivum πάσχειν, ut [illegible]. Occidere est ἀποκτεῖναι in Attica, ἀποκτανθεῖν in Ionia, occidi ab aliquo est ubique ὑπό τινος ἀποθανεῖν. Huiusmodi arbitraria usus loquendi innumera habet, quae etsi aliquam difficultatem videntur habere tamen non sunt ad observandum admodum difficilia, quia constans et perpetuus hic usus est et consensu omnium ubique confirmatur. Ad hanc lucem loci depravati, ubi librariorum socordia obscuravit linguae Atticae puritatem, non diu possunt latere. Vitium sermonis advertit et offendit exercitatum in legendis Atticis id est in colloquiis cum scriptoribus Atheniensium: quod dictum oportuit, facile suggerit memoria, unde ipsa scriptoris manus haud ita difficulter eruitur. Apposite in hanc rem locutus

Lysiae ex oratione in Andocidem simul proferre et emendare potero. *Si vestris sententiis absolutus erit,* inquit vehemens orator p. 103, R. *homo impurus et impius, nil impedit quo minus veniat in sortem summorum in rep. honorum, et Archon fiat et Rex sacrorum, et pro nobis ac rep. sacra faciat et preces fundat:* ὑπὲρ ἡμῶν καὶ θυσιάσει, inquit, καὶ εὐχὰς εὔξεται. Quid hoc quaeso est, quod θυσιάσειν aliquem dicit orator Atticus ad Athenienses verba faciens? Mirum in Attica illud θυμιάζειν accidit ad aures, nec facile quis sibi inducet in animum esse hoc ab ipso oratore positum. Sacra facere dicitur θύειν, neque ullum aliud verbum est, quo in communi sermone utuntur. At salva res est. Codices veteres non θυσιάσει sed θυσιάσουσι praeferunt, in quo latet ipsa Lysiae manus, si punctum addideris ut *O* fiat *Θ*, θυσίας θύσει καὶ εὐχὰς εὔξεται, hoc demum Atticum est: nunc Atticum audimus. Verum quid plura? Satis superque haec quae volebam adstruent. Quid igitur? Emendanda grammaticae Graecae ratio est. Secernenda, separanda, in suum locum aliquando referenda sunt singula, quae nimis diu coniecta in unum fere coaluerunt. Secernatur tandem aliquando, et in suam quodque patriam et aetatem redigatur quod verum, quod sincerum, quod in ore populorum vixit et imaginem vitae, non somnia acutorum hominum et ingeniosa commenta nobis obiicit. Nolimus diutius commiscere aliena et singulorum formas et figuras contaminando delere. Appareat quid vix et aegre mutilum ad nos pervenerit, quid integrum ac totum supersit. Nova est Grammaticae, nova Lexicorum conficiendorum instituenda ratio. Nimis multa pro Graecis habuimus quae antiquitatis ac veritatis speciem tantum et umbram praeferebant. Adhuc in Graecae linguae studio secundum illud Anaxagoreum πάντα χρήματα ὁμοῦ ἐστίν. Ionica Doricis et Aeolicis permista, his Attica superinfusa sunt; vera falsis, genuina artificiosis, viva intermortuis et sepultis confusa sunt in unum. Atque haec tantum de veteri Graecia ita

disputavi ut primas praecipuarum rerum lineas ducerem. Quid si labentem et in praeceps ruentem Graecitatem persequamur, quum recocta est ab aliis Dorica dialectus, ab aliis Ionica, a plerisque Attica: frustra ab omnibus. Haec ipse alias lubens utcumque mihi animadversa et observata sunt exsequar, nunc satis habebo si vicero sic constitui Grammaticum studium et posse et debere, ut Graecarum litterarum intelligentia quum facilior fiat tum imprimis fructuosior.

DIXI.

COMMENTATIO

DE

SINCERITATE GRAECI SERMONIS

IN

GRAECORUM SCRIPTIS

POST ARISTOTELEM GRAVITER DEPRAVATA

SCRIPSIT

C. G. COBET.

Lecta in Instituti Regii Belgici Classe Tertia die XIII m. Maii a. MDCCCL.

Nolite mirari, viri celeb., si nunc quoque ex ea parte studiorum meorum, a qua me tempora et lectionum Academicarum rationes avocant, ingenium et natura revocant, i. e. ad Graecas literas illustrandas, ad rationem Grammaticae Graecae emendandam, argumentum mihi sumsi, de quo ita ad vos dicerem, ut vestras sententias sive ad confirmanda, quae mihi videre videor, et ornanda, sive ut errantem retrahatis, elicerem. Premunt in Graeco sermone et Graecis literis studia Grammatica saniora difficultates complures. Moles ingens est et farrago rerum diversissimarum, quae confusae et permixtae nunc laborioso artificio magis etiam permiscentur et confunduntur. Numquam ex his emerget Grammatica sanior, numquam non ingenium humanum hoc genere exercitationis obtundetur facilius quam acuetur, donec, ut in illo Anaxagoreo placito, quum sint *πάντα τὰ πράγματα ὁμοῦ, ὁ νοῦς ἐλθὼν διακοσμήσει.* Indignabundus, dicam enim libere quod sentio, cum taedio et fastidio soleo inspicere et adhibere illas copias, quas doctissimi quique et celeberrimi Grammaticorum nunc solent in ingentes acervos exstruere ad rationem et usum Graeci sermonis explicandum demonstrandumque. Nihil ego nunc antiquiores reprehendo,

*

Buttmannum dico, qui facile reliquorum omnium agmen ducit et ut obscuravit veteres sic nemo adhuc illi eruditionis, diligentiae, acuminis palmam potuit facere dubiam, quum multi multa passim moliantur, sed illius et aliorum spoliis graves et non ingenita mentis sollertia in ipsum Graeci sermonis ingenium naturamque progressi sed adventicia quadam arte quae subtiliter reperta et apte disposita in re grammatica nunc maxime probari solent ad Graecas literas accommodantes, mox si res ita tulerit ad sermonem literasque diversissimas accommodaturi. Nae illi non intelligunt quid sit Graece scire, quid sit Graecum, quid non sit, quid probandum unice, quid cum contemtu abiiciendum; utuntur paratis opibus, ut sibi quidem videntur, atque ita quidem, ut regatur potius illorum mens a praesenti materia, quae videtur subesse, quam regat, arripientes quidquid alicunde obiicitur: omnia undique corrasa egregium usum videntur habere modo ad augendas incredibilem in modum copias Grammaticas, modo ad confirmanda inventa, placita, decreta, arcana fere addiderim, Grammatica omne genus. Obscuriores omittere liceat: ut fere nihil prosunt sic perparum afferunt detrimenti: vivunt in diem, liber libro truditur, ut alius est ex alio facili negotio natus: sed heroes quosdam esse video, quorum auctoritas maximis meritis parta splendore suo praestringere oculorum aciem et potest et solet, qui caliginem ac tenebras tractu saeculorum undique constipatas, quum eruditione sagaci et prudenti dispellere et discutere debuissent, nescio quo iudicii errore maluerunt eruditione caeca et insana augere et condensare; horum ego principem pono Lobeckium, cuius eruditio *stupenda*, quod nomen consulto et meditatum appono, si quid est in me iudicii, bonis Literis tantum attulit detrimenti, quantum vix caetera viri eximii bona redimere et compensare poterunt umquam. Legat mihi aliquis vel recordetur quam immensas eruditionis opes expromserit, non dico in magnae molis commentario ad

Aiacem Sophocleum, quem librum primum edidit, sed in commentariis ad Phrynichum, in Paralipomenis, in Pathologia Graeca. Is mihi respondeat profeceritne ex illa gaza inexhaustae doctrinae i. e. dispuleritne sibi caliginem mentis, quae multas literarum partes premit, exortane sibi sit illa serenitas, quae tamquam coeli, est cogitationum quoque et orationis, in qua recte cernimus, in qua multa cernimus sic ut ambigendi haerendique molestia ac dubitandi veluti metus quidam ac dubitatio tollatur, ut certo te vestigio consistere sentias eaque nullis umquam machinis convelli et expugnari posse omnibus mentis iudiciique viribus intelligas. Sat scio alios statim negaturos, alios fore, qui assentiri nondum audeant sed sensu quodam obscuro in summa viri reverentia iam dudum istiusmodi quid animis senserint. Equidem audacter ex animi sententia contendo, quod ab initio posui, condensari magis tenebras quam dissipari, non serenitatem mentis sed caliginem hinc nasci solere. Rudis illa est et indigesta moles, congestaque eodem non bene iunctarum discordia semina rerum, nulli rei sua forma manet et constat, nam corpore in uno pugnant certa cum incertis, sine pondere habentia pondus. Hanc quoque litem melior natura et mens sanior dirimet, et lubet tam praeclaro operi sedulo manum admovere. Iam alias quae eodem tenderent apud vos, v. c., disputavi, iam primas lineas coepi ducere unde descriptio studii philologici ad simplicitatem ac veritatem naturae poterit aliquando revocari. Nondum poenitet dixisse linguam Graecam non unam sed multiplicem esse: esse seriem linguarum, ex sese propagatarum sed sic ut ingenium et natura procedente tempore effloruerit primum, deinde degeneraverit donec in ineptias et sordes delaberetur. Numquam ex pulchriore puella procedente aetate anus tam putida tam foeda tam decrepita prodiit, atque sermo Graecus ex pulcherrimo et praestantissimo factus est turpissimus ac putidissimus. Qui coniungunt i. e. confundunt ac miscent aetates di-

COMMENTATIO

DE

SINCERITATE GRAECI SERMONIS

IN

GRAECORUM SCRIPTIS

POST ARISTOTELEM GRAVITER DEPRAVATA

SCRIPSIT

C. G. COBET.

Lecta in Instituti Regii Belgici Classe Tertia die XIII m. Maii a. MDCCCL.

Nolite mirari, viri celeb., si nunc quoque ex ea parte studiorum meorum, a qua me tempora et lectionum Academicarum rationes avocant, ingenium et natura revocant, i. e. ad Graecas literas illustrandas, ad rationem Grammaticae Graecae emendandam, argumentum mihi sumsi, de quo ita ad vos dicerem, ut vestras sententias sive ad confirmanda, quae mihi videre videor, et ornanda, sive ut errantem retrahatis, elicerem. Premunt in Graeco sermone et Graecis literis studia Grammatica saniora difficultates complures. Moles ingens est et farrago rerum diversissimarum, quae confusae et permixtae nunc laborioso artificio magis etiam permiscentur et confunduntur. Numquam ex his emerget Grammatica sanior, numquam non ingenium humanum hoc genere exercitationis obtundetur facilius quam acuetur, donec, ut in illo Anaxagoreo placito, quum sint πάντα τὰ πράγματα ὁμοῦ, ὁ νοῦς ἐλθὼν διακοσμήσει. Indignabundus, dicam enim libere quod sentio, cum taedio et fastidio soleo inspicere et adhibere illas copias, quas doctissimi quique et celeberrimi Grammaticorum nunc solent in ingentes acervos exstruere ad rationem et usum Graeci sermonis explicandum demonstrandumque. Nihil ego nunc antiquiores reprehendo,

Nolite mirari, viri celeb., si nunc quoque ex ea parte studiorum meorum, a qua me tempora et lectionum Academicarum rationes avocant, ingenium et natura revocant, i. e. ad Graecas literas illustrandas, ad rationem Grammaticae Graecae emendandam, argumentum mihi sumsi, de quo ita ad vos dicerem, ut vestras sententias sive ad confirmanda, quae mihi videre videor, et ornanda, sive ut errantem retrahatis, elicerem. Premunt in Graeco sermone et Graecis literis studia Grammatica saniora difficultates complures. Moles ingens est et farrago rerum diversissimarum, quae confusae et permixtae nunc laborioso artificio magis etiam permiscentur et confunduntur. Numquam ex his emerget Grammatica sanior, numquam non ingenium humanum hoc genere exercitationis obtundetur facilius quam acuetur, donec, ut in illo Anaxagoreo placito, quum sint πάντα τὰ πράγματα ὁμοῦ, ὁ νοῦς ἐλθὼν διακοσμήσει. Indignabundus, dicam enim libere quod sentio, cum taedio et fastidio soleo inspicere et adhibere illas copias, quas doctissimi quique et celeberrimi Grammaticorum nunc solent in ingentes acervos exstruere ad rationem et usum Graeci sermonis explicandum demonstrandumque. Nihil ego nunc antiquiores reprehendo,

Buttmannum dico, qui facile reliquorum omnium agmen ducit et ut obscuravit veteres sic nemo adhuc illi eruditionis, diligentiae, acuminis palmam potuit facere dubiam, quum multi multa passim moliantur, sed illius et aliorum spoliis graves et non ingenita mentis sollertia in ipsum Graeci sermonis ingenium naturamque progressi sed adventicia quadam arte quae subtiliter reperta et apte disposita in re grammatica nunc maxime probari solent ad Graecas literas accommodantes, mox si res ita tulerit ad sermonem literasque diversissimas accommodaturi. Nae illi non intelligunt quid sit Graece scire, quid sit Graecum, quid non sit, quid probandum unice, quid cum contemtu abiiciendum; utuntur paratis opibus, ut sibi quidem videntur, atque ita quidem, ut regatur potius illorum mens a praesenti materia, quae videtur subesse, quam regat, arripientes quidquid alicunde obiicitur: omnia undique corrasa egregium usum videntur habere modo ad augendas incredibilem in modum copias Grammaticas, modo ad confirmanda inventa, placita, decreta, arcana fere addiderim, Grammatica omne genus. Obscuriores omittere liceat: ut fere nihil prosunt sic perparum afferunt detrimenti: vivunt in diem, liber libro truditur, ut alius est ex alio facili negotio natus: sed heroes quosdam esse video, quorum auctoritas maximis meritis parta splendore suo praestringere oculorum aciem et potest et solet, qui caliginem ac tenebras tractu saeculorum undique constipatas, quum eruditione sagaci et prudenti dispellere et discutere debuissent, nescio quo iudicii errore maluerunt eruditione caeca et insana augere et condensare; horum ego principem pono Lobeckium, cuius eruditio *stupenda*, quod nomen consulto et meditatum appono, si quid est in me iudicii, bonis Literis tantum attulit detrimenti, quantum vix caetera viri eximii bona redimere et compensare poterunt umquam. Legat mihi aliquis vel recordetur quam immensas eruditionis opes expromserit, non dico in magnae molis commentario ad

Aiacem Sophocleum, quem librum primum edidit, sed in commentariis ad Phrynichum, in Paralipomenis, in Pathologia Graeca. Is mihi respondeat profeceritne ex illa gaza inexhaustae doctrinae i. e. dispuleritne sibi caliginem mentis, quae multas literarum partes premit, exortane sibi sit illa serenitas, quae tamquam coeli, est cogitationum quoque et orationis, in qua recte cernimus, in qua multa cernimus sic ut ambigendi haerendique molestia ac dubitandi veluti metus quidam ac dubitatio tollatur, ut certo te vestigio consistere sentias eaque nullis umquam machinis convelli et expugnari posse omnibus mentis iudiciique viribus intelligas. Sat scio alios statim negaturos, alios fore, qui assentiri nondum audeant sed sensu quodam obscuro in summa viri reverentia iam dudum istiusmodi quid animis senserint. Equidem audacter ex animi sententia contendo, quod ab initio posui, condensari magis tenebras quam dissipari, non serenitatem mentis sed caliginem hinc nasci solere. Rudis illa est et indigesta moles, congestaque eodem non bene iunctarum discordia semina rerum, nulli rei sua forma manet et constat, nam corpore in uno pugnant certa cum incertis, sine pondere habentia pondus. Hanc quoque litem melior natura et mens sanior dirimet, et lubet tam praeclaro operi sedulo manum admovere. Iam alias quae eodem tenderent apud vos, v. c., disputavi, iam primas lineas coepi ducere unde descriptio studii philologici ad simplicitatem ac veritatem naturae poterit aliquando revocari. Nondum poenitet dixisse linguam Graecam non unam sed multiplicem esse: esse seriem linguarum, ex sese propagatarum sed sic ut ingenium et natura procedente tempore effloruerit primum, deinde degeneraverit donec in ineptias et sordes delaberetur. Numquam ex pulchriore puella procedente aetate anus tam putida tam foeda tam decrepita prodiit, atque sermo Graecus ex pulcherrimo et praestantissimo factus est turpissimus ac putidissimus. Qui coniungunt i. e. confundunt ac miscent aetates di-

versas, coniungunt ingenia, mores, indolem toto coelo diversam; ex qua coniunctione monstra et portenta Grammatica nata sunt et nascuntur. Qui Homerum cum Apollonio Rhodio coniungunt, Epicharmum et Sophronem cum Theocrito, denique veteres cum novis permiscent, cum vivis et vigentibus cadavera, cum veris ac certis species inanes et umbras, cum nativis artificiosa, non tantum gravi sed perniciosissimo literis errore commiscent. Quam late olim ista confusio gliscere potuerit primarii philologi fere omnes argumento esse possint. Omitto caeteros; testimonia dicant mihi principes nostratium, quorum immortalis gloria apud omnes erit, qui in his literis rectum videre valent. Quid? Hemsterhusium quis negabit plus in Xenophonte Ephesio posuisse studii quam in Atheniensi? Melius idem in Clementis Alexandrini oratione versatus est, ut uno utar de multis, quam multi haud ignobiles philologi in Demosthenis atque Platonis. Graecos ille omnes versabat, omnes libenter, omnes assidue, nec fastidiebat infimos, undique aliquid colligens florum et elegantiae, quo scripta sua ornaret; dicere ausim in mediocribus, in sequioribus summum virum immorari solitum lubentius quam in capitalibus antiquorum ingeniis; quid Valckenarius, qui eruditione nullis finibus circumscripta eodem amore summa infimis aequat et continuat, Sophistarum et Rhetorum studiosior fere quam Atheniensium veterum, in Theocrito ornando non minus quam in Euripide totus; quid Ruhnkenius ecquem sprevit ac fastidivit eorum, qui diu post exstinctam Graeciam balbutire Graece rectius quam dicere ac scribere dicantur. Juliano Wyttenbachius gaudet haud secus atque Platone, Eunapium illustrat non minore amore quam Phaedonem! quid animi credatis illis ipsis Graeculis fore, si se scirent cum illis heroibus eadem laude ac studio consociari.

Bentleium unum addo ex caeteris, Bentleium vero in Callimacho totum esse, verum fateor, miror interdum et subindignor.

Si quis monumenta Graecae humanitatis et philologorum in iis illustrandis labores percenset facile apparebit summa ingenia in minus dignis elaborasse plurimum et summos scriptores minus excellentium philologorum curis utcumque expolitos et illustratos fuisse. Quantam partem curae in Luciano aut Xenophonte Ephesio aut Charitone positae dicamus in Xenophontem Atheniensem aut Thucydidem aut Platonem aut Demosthenem collatam! Leviter docti in Aristophane, fere prorsus indocti olim in Tragicis occupabantur, ut quisque erat difficillimus et interprete indigebat plurimum, ita levissimos Editores nactus est; heroës toti erant in levioribus, caeteri caeteros utcumque curabant, hinc factum est ut in honore haberentur quos melius spreveris, et praestantissimus quisque laudaretur magis quam legeretur, hinc qui rationem Grammaticam subtilius excolere coeperunt promiscue undique praesidia doctrinae colligerent, haud secus ac si aequales essent inter se omnes Graeci et aequali auctoritate. Proletarios et capite censos Grammaticos nil attinet exagitare. Piersonum nominabo, qui quum Atticae dialecti rationem in aureo ad Moeridem commentario tam docte quam eleganter illustraret non fecit tamen operae pretium in summa rei, quoniam passim et ubique Atticistarum et Graeculorum errores cum sincerae et genuinae Graecitatis documentis eodem loco pretioque habuit; ubi res confici poterat et certus Graecitatis usus definiri antiquorum testimoniis admixta recentiorum testimonia incertiorem te quam esses diu relinquunt. Joculare fere est videre Themistium in mediis Tragicorum locis sua afferentem, alternis Platonem et Philostratum, Xenophontem et Diogenem Laërtium, Demosthenem et Lucianum, Thucydidem et Maximum Tyrium in re eadem testes produci. Theocritus confirmat usum loquendi Comicorum, Callimachus Tragicorum, Himerius et Aristides et Libanius et quis non ex recentiorum faece Herodoteum dicendi genus sua

dictione videntur illustrare posse. Joculare est, inquam, ni ex isto errore novi errores in Grammaticam artem iam satis librariorum vitiis laborantem irrepsissent, qui quoniam nunc longo usu invaluere, medicina multis quidem sero paratur. Nondum ea via aut ratio deseritur, alii post alios antiquum obtinent, obruunt acervis annotationum bonos auctores, unde nil boni Graecis scriptoribus, multum mali verae philologiae solet evenire; nihil est facilius quam annotandi talem farraginem et inutilem supellectilem undique corrasam veterum monumentis adiicere, quid attinet dicere nihil esse inutilius. In hac materia unum est potissimum observationum genus quod nescio utrum dicam propter incuriam neglectum an propter nimiam quamdam reverentiam veterum ac religionem mansisse intactum. Videbatur, opinor, temerarium ipsos scriptores in ordinem cogere velle et violatae vel adeo ignoratae Grammaticae rationem reos agere illos ipsos, unde omnis illa cognitio pendere credebatur. Neque tamen aliter lux affulgebit nisi quis ipsos Graecos ad severum et Cassianum vel Aristarcheum potius tribunal adduxerit sermonis quo utantur rationes reddituros, ubi nil proderit sic dixisse, nisi constet sic recte dici potuisse. Nempe ita se res habet: quod diximus, linguam Graecam ex pulcherrima vertisse in turpissimam, ex ipsa natura rei sensim paulatimque accidit. Prima mali labes post amissam libertatem sermonis Graeci sinceritatem infecit. Nemo post Alexandrum bene et pure locutus esse audacter dici potest. Dum Graecia languet et senescit, insita olim acutis populis recte dicendi facultas consenuit et ipsa nec vulgus tantum sed docti, sed poëtae, olim dicendi summi artifices titubare et peccare coeperunt. Menander dicitur paucis ante Dionysia diebus quaerenti paratamne haberet fabulam respondisse: fere paratam: nam argumentum sibi esse bene dispositum: nil superesse nisi ut versiculos adderet, τὰ ςιχίδια ἐπᾷσαι, ut est apud Plutarchum. Possit haec facultas

praeclara cuidam videri: at nemo mirabitur, qui Menandri reliquias perlegit, versiculos tam negligenter scriptos raptim et temere esse conflatos. Nec tantum ornamenta orationis et Atticam elegantiam desideres: iam tum non satis pura, non satis Graeca poëtae oratio est: sordes, vitia, negligentia et ab antiquis Criticis in Menandro reprehenditur; satis superest fragmentorum ut et ipsi reprehendere possimus. Eadem in Philemone negligentia, eadem in caeteris poëtis in media Attica natis. Mox Graecitas ire coepit praeceps et oratio populi, quam oportet perennem fontem esse unde docti sapiant, tam sordida et corrupta esse coepit, ut elegantiores omnes scriptores fere omnem loquendi scribendique facultatem ex antiquioribus literarum monumentis multa cura et labore colligerent: duo sunt veluti populi, duae linguae: sermo vulgaris, plebeius, qui dicitur *ἡ συνήθεια, ἡ τῶν ἰδιωτῶν διάλεκτος*, alter sermo est eruditus *ἡ τῶν πεπαιδευμένων γλῶσσα*, qui non aliunde pendet quam ab lectionis usu et ex veterum scriptis hauritur. Incredibile dictu est quam late ea ratio patuerit, quotus enim quisque est Graecorum, qui post amissam libertatem aliquid conscripserunt, qui se non ad antiquiorum imitationem totum dederit et ausus sit scribere, ut ipsi loquuntur, vulgari sermone, *τοῖς ἐπιτυχοῦσιν ὀνόμασιν*, quod Plutarchus scribit de Arato, sed ita ut hominem excuset veniamque det, temporibus coacto scil. ut sic scriberet. Iulio Caesari qui idem fecit in sermone Romano non tantum excusatione et venia opus non est, sed sanos homines, ut est in nobili Ciceronis loco, a scribendo deterruit. Usus est et ipse consuetudine loquendi pura et incorrupta et sic, iudice Cicerone, vitiosam et corruptam consuetudinem emendavit. Ex iis, qui manibus nostris teruntur, unus est omnium, qui ab hoc artificioso scribendi genere ausus est abstinere et consuetudinem sequi, Polybius, cuius oratio hoc ipso nomine tam putida, tam ieiuna, tam plebeia videtur. Sordet Polybius et fasti-

ditur: utitur tamen oratione, qualis erat tum in ore populi. Livius ubi Polybiana vertit ad verbum Latine ex inconcinna et ingrata oratione Graeca elegantem et Latinam elicit. Utitur tamen sermone Latino, quali aequales tum uterentur sed florebat tum Latinae orationis aurea aetas, Graeca in Polybii aequalibus moriebatur. Praeter solum Polybium neminem unum nominaverim, qui idem fecerit: sentit hoc ipse gravis historicus et ut est ingenio acerbo et aspero, quam facultatem ipse sive natura sive iudicio non excoluit, eam vilipendere et irridere adeo solet in aliis, quasi historica ars illis dicendi ornamentis et lenociniis in tanta rei ipsius gravitate et praestantia melius careret. Si reliquorum neminem ita scripsisse contendo, multos scio esse qui contra sentiant: quam recte, quam perite in uno ostendam. Niebuhrius alicubi confidenter, ut solet, de Dione Cassio pronunciat, reddam verbum verbo: "Dio unus est ex paucis qui ita scribunt ut tum homines loquebantur: eius oratio est vulgaris Graecitas illius aetatis: hinc perutile est et fructuosum eius dictionem diligenter observare et cognoscere." Nihil autem est minus verum. Dionis oratio utcumque videtur negligentior, incomta, nulla cura, nulla arte sponte fluere ut popularis oratio solet, tamet et ex veterum lectione collecta est et quod aliquanto peius est non sine putida affectatione et vitiis male ex discrepantibus collecta. Quod maximum est, ipse Dio testatur se Atticos legere ad colligendum Graece scribendi usum 55. 12. idem tamen saepe Ionice magis quam Attice scribit imprudens: **ἐςολίδαται** illi est *vestiti sunt*, sic **ἐσκευάδαται, διεκεχωρίδατο**, alia passim lubenter ponit, quae Herodoto melius reliquisset, ut usus pronominis **οἱ** pro **αὐτῷ** quod quam insuave sit in oratione, quae Atticam imitari satagit, facile est ad intelligendum.

Affectatae orationis in illo scriptore, qui scribere dicitur ut tum omnes loquebantur, exemplum unum afferam sed luculentum. Lib. 55. 14 Augustus solus in thalamo cum uxore Livia

sermones caedens inducitur. Augustus curis anxius, huc illuc inquies se versat nec somnum oculis videre potest: cui Livia: quid est, mi vir, cur non dormias? respondet: quis vero possit, mea uxor, vel minimum connivere qui tot inimicos habeat et undique insidiis petatur. Graeca verba sunt: *καὶ τίς ἂν, ὦ γύναι, κἂν ἐλάχιςον ἀπομεριμηρίσειε τοσούτους ἐχθροὺς ἔχων καὶ ἀεὶ ἐπιβελευόμενος.* caetera facile credo populari usu comprobari quod autem *ἀπομεριμηρίσειε* posuit, non sine putida affectatione ex uno Aristophanis loco est haustum in Vesparum initio, in quo loco veteres interpretes vocabulum rarissimum diligenter aequalibus interpretantur: non facile, opinor, Livia intellexisset nec temere Augustus usurpasset qui non magis in Graeca quam in Latina oratione vocabulorum obsoletorum ferebat foetores. Quam facile esset ex eodem, ex aequalibus, ex paulo antiquioribus cumulare rei et vitii eiusdem exempla. Quoties mihi illorum temporum et scriptorum imaginem animo fingere et informare aggredior, toties in mentem venire solet comparatio eorum, qui post renatas literas Latine scribendi facultatem et usum ex Romani ingenii monumentis singulari studio et indefesso labore colligere sunt conati et conantur. Incredibile dictu est quam sit res rei similis. Eadem in utroque genere fere omnia cernuntur et vitia et virtutes, nisi quod facilius est quod nos facimus, quamquam contra videtur, quam quod Graeci faciebant, antiquum et quia ita dicere placuit mortuum sermonem scribendo referentes. Summa ingenia in hoc quoque genere exsplenduerunt et tam bene imbiberunt Latinitatis interioris sensum, ut vertisse natura in illam antiquam naturam possit videri, quum tota mente repetunt illius aetatis ingenium mentemque, nescio quomodo Romani fere in dicendo exstiterunt, ut caeterorum quisque maxime ingenio, memoria, sensu pulchri valuit, ita proxime ad illorum praestantiam accedit, plerique longo intervallo relinquuntur, balbutiunt aliquid et conscribillant sed nihil quod vivere possit. Aucu-

pantur verba, dictiones, compositionem orationis, conglutinant ornant, cumulant: nihil tantum erit quod Romanum ingenium spiret, quod referat colorem vere Latinum, quod natum non factum videatur. Vocabula Latina sunt, animus et mens aliunde: ut peregrini ab civibus etiamsi veste, habitu, ornatu nihil discrepant, tamen levibus sed certis indiciis statim dignoscuntur. Quod autem dicebam facilius esse quod nos facimus operae pretium est paucis explicare. Nos enim illa ingenii monumenta imitando referimus, quae accurate intelligimus, in quibus nihil ferme est cuius non formam, compositionem, significandi potestatem certo teneamus et habeamus in promtu. Ea tantum negotium facessunt, ubi lectionis corruptela ludificatur legentem vel antiquitatis ratio et vitae antiquorum non satis sit expedita. In Graecis intelligendis et deinde imitandis difficilius est negotium, varietas et copia in vocabulorum formis et compositione et significatione tanta est, ut nemo umquam omnia potuerit mente complecti, non dico aequalium nostrorum sed ipsorum Graecorum, qui Grammaticam et Criticam artem cum immortali gloria excoluerunt. In historia ipsa Graecorum saepe cerni potest quotuplex sit antiquitas, nam pauca saecula facere saepe solent antiquitatem. Quum Chrysippus de optima ratione philosophandi Apollinem consuleret responsum tulit ut antiquos imitaretur. Xenophontem et Platonem lectitare coepit. Ut Chrysippo Plato est admodum *ἀρχαῖος*, sic Chrysippus post aliquot saecula in pervetustis scriptoribus habebatur ab iis, qui post idem temporis spatium eadem reverentia ab aliis suspiciebantur: sic autem fiebat ut sensim minus intelligerentur et difficiliores viderentur, quod nunc omnia in unam farraginem coniicientes multi non admodum animadvertunt. Quae nobis nunc legentibus et interpretantibus facessunt multum negotii neque ab aequalibus commode intelligebantur, multo minus post aliquot aetates et saecula adeo satis faciles explicatus habebant. Multum abest, ut Tra-

gicorum carmina lyrica ab auditoribus extemplo recte caperentur: ipsi aequales, in his Aristophanes, liquido testantur. Pindarus ipse fatetur se sine interpretum ope vix posse intelligi: τὸ δὲ πᾶν ἑρμανέων χατίζει. Thucydides quantum molestiarum lectoribus attulerit vel unus Dionysius Halicarnassensis indicio esse possit et qui poeta eum dicentem facit:

εἰμὶ γὰρ ὁ πάντεσσι βατός

ex plerorumque lectorum sententia cecinit. Non possum omittere in hac parte egregium Ciceronis locum in libro II de Oratore ubi Antonius urbanissime de suo studio in Graecis literis posito disserens "haec dumtaxat, inquit, in Graecis intelligo quae ipsi qui scripserunt voluerunt a vulgo intelligi. Poetas omnino, quasi alia quadam lingua locutos non conor attingere, cum his me oblecto, qui res gestas aut qui orationes scripserunt suas aut qui ita loquuntur ut videantur voluisse esse nobis, qui non sumus eruditissimi, familiares" quod homo urbanus qui consulto vires extenuat potius quam iactando auget candide fatetur, quanto verius multi Romani, multi Graeculi fuerint confessi, qui rerum, quas non satis caperent, peritissimi volebant videri nec erant. Nemo unus Romanus Graece scribere potuit unquam ut non aliquando impingeret, plena est exemplorum historia, alii ultro fatentur: alii dissimulant. Postumius Albinus, Catone irridente, veniam deprecatur si quid minus bene Graece scribenti sibi exciderit. Lucullus impudentius se idcirco barbara quaedum et σόλοικα sparsisse in historiis suis quo facilius illas probaret Romani hominis esse. Cicero ubi hoc refert lepide addit: apud me si quid erit huiusmodi me imprudente erit et invito. Non tamen Cicero, non alius illis temporibus vacaverit, opinor, vitiis sermonis sive levioribus sive etiam turpioribus, quod usu venit in omnibus Romanis, qui sibi puri puti Attici videntur, ut imprudentes delabantur in patrii sermonis rationem et usum in

vocabulis Graiis expressum. Non Aelianus, non Favorinus ab illa labe immunes, ne sic quidem ut turpioribus vitiis careant; siquidem ut hoc utar κατεγνώσθη θανάτου potuerint scribere, nam cogitabant *capitis damnatus est*, quum ratio et usus linguae requirat quod illi antiqui scribebant θάνατος αὐτοῦ κατεγνώσθη. Nihilo magis Romani in ea re impingebant quam Graeci: agmen Grammaticorum scribentibus praecepta ponunt: comportant sedulo undique materiam: ostendunt quid veteres et probati scriptores dicere soleant: admonent de recentiorum corrupta et vitiosa consuetudine sed nemo in his ingenii fama et iudicii inclaruit, multi multa inconsulto, multa temere praecipiunt, non satis inter se conspirant: non satis diligentiae adhibent et quo sunt morosiores, eo solent esse imperitiores. Facete Lucianus inducit iactabundum recte pureque dicendi magistrum, qui se quemvis soloecismum statim deprehendere posse gloriatur. Lucianus ut vanitatem hominis ostendat alios ex aliis soloecismos ex communi sermone committit, quorum illi nihil subolet, at quod imprimis animadvertendum quae Lucianus in illo libro multo sale perfricat sermonis vitia, ἄρτι iunctum cum futuro, ἃ μέν — ἃ δέ pro articulis, ὄφελον δυνήσῃ pro ὄφελες δύνασθαι: non difficile foret eadem vitia ipsius elegantissimi scriptoris testimoniis confirmare. Vim exemplorum in eodem libro expromit, unde apparet quam negligenter quam putide tum vulgo loquerentur. Affert exemplum Socratis cuiusdam, qui comiter et festive sermonis vitia soleret redarguere: at ipse in redarguendo haud multo melius respondet quaerenti πηνίκα ἔξεισι pro πότε, quoniam hoc de tempore, illud de hora diei poni debet, subjicit: τίς γὰρ ἂν ἀποκριθείη σοι ὡς τήμερον ἔξιών. atqui, o bone, tuum ἀποκριθείη pro ἀποκρίναιτο non minus ridiculum est quam πηνίκα pro πότε. In sequentibus plurima idem perstringit, quae ab Atticistis omnibus impune solent peccari: προκόπτειν dicebat aliquis. Plato, inquit, hoc appellat ἐπιδιδόναι.

Verum est: sed quis non post Platonem προκόπτειν dixit et προκοπήν? quum quis quaereret εἰ μελετήσει ὁ δεῖνα, ridet quasi μελετήσεται dicere debuisset, at quis non in hoc genere, si peccare hoc est, ut est sine ulla controversia, saepissime peccavit. Nemo ferme est recentiorum, qui non in isto genere ab Atticorum usu deflexerit. Satis, credo, constat ἀκούσομαι et γελάσομαι et ἐπαινέσομαι, alia sexcenta bene Graeca esse at isti γελάσω et ἐπαινέσω et ἀκούσω confidenter dicebant. In contrario genere est λήσω quod solum bene Graecum est: at isti omnes turpi errore λήσομαι ex vulgi consuetudine dicere coeperunt. Buttmannus in ea forma Apollonium Rhodium et Aristotelem laudat auctores, casu et temere in illorum locos incidit, annotavit, satis esse credidit: at nemo non recentiorum sic scripsit, nemo veterum aliter quam λήσω dixit unquam. Atticistarum primarii ut res et casus tulerunt modo λήσω scripserunt antiquorum memores, saepe λήσομαι ex consuetudine aequalium. Exemplorum nubem ex Graecis scriptoribus afferre perfacile est, unde appareat quam turpes errores ab ipsis Graecis soleant committi impune, omnibus idem peccantibus. — Cicero apud Plutarchum προῆλθεν ὀμόσων: puderet, credo, tironem in ludo literario ὀμόσω pro ὀμοῦμαι posuisse, quid illis facias qui statuant et ὀμεῖσθαι Graecum esse et ὀμόσειν quandoquidem in illo Plutarchi loco legatur. Sed non est huius loci nec temporis quae mihi de hoc argumento collecta sint exempla vitiorum, quae ipsi Graeci commiserunt expromere. Expromam si quid horum vestris iudiciis comprobatum publici iuris facturus sum, ut tandem ad hanc rationem exigantur, quae de usu et proprietate Graeci sermonis nunc tradi per manus docerique assolent. Paucae sunt Atticistarum observationes, paucae Grammaticorum annotationes quae sic non emendari purgarique debeant. Seponendi erunt auctores sero nati et iudices non idonei: producendi testes erunt classici et locupletes, qui ad severam criticen exacti brevi inter se consentient

omnes, ut omnis ambigendi locus tollatur. Ubi semel testes locupletes consentient, dissentientium nulla ratio erit habenda. Scribant et loquantur quod lubet: non pergent nobis sinceram et genuinam Graecitatem contaminare, non ab his discere cupimus sed ab incorruptis Graecitatis auctoribus, qui ubi semel, ut aequum et iustum est, soli audientur, quae nunc fluxa et incerta iactantur consistent aliquando et certa erunt et ingenia iuvenilia, qua nunc in ista opinionum diversitate et commentorum copia obtunduntur, ad illam lucem claram et splendidam quod unum omnium rerum humanarum iucundissimum et prope divinum est assuescent, verum videre.

DIXI.

COMMENTATIO

DE

AUCTORITATE ET USU GRAMMATICORUM VETERUM

IN

EXPLICANDIS SCRIPTORIBUS GRAECIS:

SCRIPSIT

C. G. COBET.

Lecta in Instituti Regii Belgici Classe Tertia die XIV m. Aprilis a. MDCCCLI.

VIRI CELEBERRIMI,

Habet hoc veterum populorum historia et veterum linguarum studium, ut versentur in rebus ad finem perductis et omnibus numeris atque partibus absolutis. Aliquanto fructuosior est contemplatio vitae et rerum gestarum illius, qui a tenui et obscuro profectus initio artibus optimis et virtutibus ad summum pervenit fastigium potentiae gloriaeque, deinde ubi defecere artes quibus sibi hanc felicitatem pepererat coepit paulatim delabi in peius dein magis magisque ire praeceps, donec fractus vitiis et flagitiis iners consenuerit multoque senio taedioque miserum spiritum sine ullius desiderio exhalarit, quam si eum virum spectes qui huius exemplo admonitus vitae bene constituendae fecerit initium et nunc crescat optimi artibus, sic tamen ut futuri temporis exitum caliginosa nocte premat deus. Illius imaginem refert historia vetus illorum populorum, unde nostra humanitas excitata et propagata est, quum ipsi cooperti flagitiis, moribus in omnem nequitiam corruptis, nobis melioribus cessere loco et deleti sunt nisi ut pauca quaedam vestigia cognationis reliquerint in nonnullis, qui permixti olim novo hominum generi et confusi vix nisi artificialem memoriam remotae antiquitatis retinuere. Quid valeat eius rei observatio in historia alias ipse

aut alii explicate persequentur, me meum ingenium et studia revocant ad linguarum observationem, in quibus vita omnis populorum sic expressa est, ut etiam nunc vivant vigeantque illis, quibus haec intelligere et intima mente perscrutari datum est. Quae autem in populo temporum vicissitudines sic mutare solent, ut in uno eodemque nomine homines diversissimi appareant, eadem est sermonis ratio: manet nomen, res subest nomini alia post aliam. Non plus discrepat forma, ingenio, moribus, vita a tenero puerulo lasciviente et ludibundo vir adulta aetate et rerum hominumque usu ad gravitatem et severitatem compositus et senex idem ac decrepitus et delirans in eodem nomine nulli dissimilior quam sibi, qui olim fuerat, quam lingua populi quae ex rudiore antiquitatis ratione civium ingenio et humanitate exculta ad summum elegantiae, venustatis et nitoris culmen in maxima copia et divitiis pervenerit, a se ipsa discrepat quum socordia et stupore popularium sordibus inquinata inepta et malesana et, ut verbo dicam, decrepita et delirans exit ex ore populi desipientis. Per annos plus quam bis millenos Graecitas vivit nobis, habemus monumenta ingenii Graeci nono saeculo ante C. n. condita, affatim superest earum literarum, quae saeculo 13 post C. n. ad posteros sunt propagatae. Saepe et multum questus sum de eorum levitate et temeritate, qui omnia in unam farraginem congesta eodem amore et studio prosequuntur: quantum illi detrimenti bonis literis attulerint afferantque etiam apud vos, v. c., disputavi. Fieri non potest ut intelligant et persentiscant veteris linguae venerea, qui Graeculorum foetus non dico patienter sed cum aliqua animi oblectatione et sine nausea et fastidio perlegant. Miratur Lobeckius Phrynichum suum, operose et sine ulla venere locutiones Atticas et plebeias ut in musivo opere contexentis v. σύσσημον, p. 418. Audite ipsius verba "hic locus verbis lectis et illustribus distinctus argumento esse potest Phrynichum, si satis spatii ad arma

expedienda habuisset, orationis elegantia et gravitate nulli superiorum cessurum fuisse." Nihil mihi umquam credi facile patiar, si quid est illo loco ieiunius et magis ineptum: quid prodest Ἀττικώτατα consarcinare: τί πάσχουσι, θαυμάσας ἔχω, μέγαν ἄγειν, τὰ ἄκρα τῶν Ἑλλήνων et ἐρήμην ὀφλόντα σου τὰ παιδικά, si locus in quo ista in acervum exstruuntur ne micam quidem habet salis. Est hoc omne genus ita natura comparatum ut periti persentire optime possint, imperitis quale sit explicari non possit, quod dixit in simili re Ruhnkenius. Itaque nihil hoc urgeo, aliud est quod volebam, quo sic deveniam ut ab historico exemplo ordiar. Populus sentit se decrescere, fatiscere vires animi, ingenii dotes deficere, minui animos, male se tueri maiorum laudem, degenerare, consenescere, delirare: pauci fatentur, pauciores admonent, sapientissimus quisque satis videt et frustra se, si solus audeat obniti, omnium invidia arsurum, et nequidquam sese odia et simultates omnium in malo insanabili suscepturum. Atheniensium disciplina labi coepit quo tempore florebat Pericles, iniquius ipse solus huius culpae arguitur, fortasse non satis nascenti luxuriae certam perniciem allaturae obstitit: non attulisse Periclem illam pestem natura rerum clamat. Nemo unus populum facit frugi, nemo unus flectit in vitium. Odiose Plato eo crimine insectatur virum magnum, facetius sed non meliore iure Aristophanes corrupti populi culpam contorquet in Euripidis Tragoedias. Socrates magno animo pestem admonendo avertit sed dum parcit viribus ὁ εἴρων et extenuat consulto acute dicta non nisi acutiores advertebant. Praeclare Aristophanes, cuius utinam Δαιταλῆς ad nos pervenissent, labentes mores et disciplinam maiorum in ea fabula sic exposuit, ut senem induceret, cuius alter filius optimae frugis antiquis moribus viveret alter nequissimus et novis populi vitiis et flagitiis coopertus. Nondum perierant antiquae artes sed peribant. Egregie civibus placuit audacia poetae. ὁ σώφρων τε χὠ καταπύγων ἄριστ' ἠκουσάτην, ut laetus ipse canit in

Nubibus. Itaque saepe idem passim inculcat auditoribus ita ut facetissimos iocos misceat tam prudenti consilio, ut nescias utrum haec ridens an moestus scripserit. Moestitia subit animum ubi in Nubibus antiquos mores et novos comparat, et decertant *ὁ δίκαιος λόγος*, virtus maiorum et *ὁ ἄδικος* aequalium callida nequitia. Non semper ridebit qui Equites eo animo releget, ut videat quam caute poëta hoc ulcus tangat et optimas artes maiorum componat cum auditorum, qui in cavea sederent ferme omnium, improbitate, ignavia, stupore. Morose et sine fructu queritur et eiulat Isocrates surdis auribus. Periit libertas, periere spiritus, nemo unus superest Athenis vir magnus et acer animo, Demetrius dixit Poliorceta, indignatus abiectissimam adulationem: *οὐδεὶς Ἀθηναίων ἐπ' ἐμοῦ γέγονε μέγας ἢ ἁδρὸς τὴν ψυχήν.* Athen. VI. 62. incredibile dictu est quam foeda et flagitiosa adulatione isti blanditi fuerint cuius quum exemplum attulisset idem ingenioso, nam fatendum est, et lepidissimo carmine scriptum, sed quod spirat animos abiectos et ignavos civium subiecit: haec igitur cantarunt *οἱ Μαραθωνομάχαι*, qui capitis damnarant legatum, quod oblitus maiestatis populi Attici regem Persarum adorasset. Verum autem erat quod Demades iecerat: civitas nunc, inquit, est vetula anus decrepita sandalis induta et ptisanam sorbens — perire satius erat quam sic vivere. At quam diffitentur omnes turpitudinem, multis modis ipsi ultro arguebant; de quibus unum indicabo, quoniam me ducet quo dudum propero. Nempe omnia personant laudibus maiorum et antiquitatis: quidquid est antiquum praeclarum et eximium habetur. Sordent nova ad haec et iacent. Sermo Graecus, in quo est imago temporum et morum velut in speculo expressa, passim hoc docet: *ἀρχαίως* olim cum contemtu dicebatur, contemnuntur *τὰ ἀρχαῖα*, absona, absurda, inepta sunt: nova omnia sunt in honore. *οὐκ ἀείδω τὰ παλαιά Τὸ πάλαι δ' ἦν Κρόνος ἄρχων Νέος ὁ Ζεὺς βασιλεύει* quum canitur tota theatra applaudunt.

In artibus τὰ παλαιὰ sunt rudia, inchoata, invenusta, in literis et eloquentia, in sermone, in vita, ubique exploduntur. ἀρχαῖος dicitur urbane pro insulso et stupido. Postea omnia in contrarium verterunt. Nova et novitia apud omnes improbantur. τέχνη παλαιά, βιβλία, συγγράμματα, λόγοι τῶν παλαιῶν in ingenti sunt apud omnes laude et honore; is sibi videtur beatissimus qui proxime ad antiquiorum laudem valeat accedere. Nata est imitatio, ut semper infelix, quae nihil quod vivere et placere possit genuit. Acutissimus quisque fatetur nihil se efficere quod ad antiquorum praestantiam sit exigendum. Erubescunt si sua cum illorum scriptis componunt, veniam deprecantur. Ab eo tempore nata sunt studia philologica antiquitatis, hinc illae bibliothecae et ingens studium regum in conquirendis et impenso pretio coemendis scriptis τῶν παλαιῶν, in haec omnes incumbere, haec legere, meditari, ad imitandum se comparare saeculum erat. At tempora mutaverant linguae usum, iam olim per diversas stirpes et patrias populorum diversum, sic ut diversa oppida in populo eodem uterentur sermone diverso. Non tantum aetates decrimina faciebant ut alio sermone veteres Attici, alio aequales Aristophanis, alio Demosthenis, alio Menandri uterentur, sed uno eodemque tempore in Ionia Herodotus quatuor species dialecti diversas inter sese commemorat, alia erat Mileti dialectus, alia Ephesi, alia Chiorum, Samiorum alia I, 142: ex quam infinita copia ad quantam paupertatem Graecitas redacta est! Iam qui in Graecia libera veterum scripta interpretari solebant plus ingenio et audaci coniectura quam arte et doctrina nitebantur. Ioculare est videre, ut illi Homerum, ut reliquos veteres poëtas soleant explicare, confidenter quod in mentem venit et buccam ut in re certa pronuntiantes. Grammatica ars et interpretandi usus nondum satis constabant et ut quisque erat acutissimus sic optimus habebatur interpres et verborum, quae tamen penitus ignoraret, et sententiarum quas non satis habebat per-

spectas. Quam cito cadere possint quae olim fuerant in honore vocabula, quam prorsus ignorari et alii multi loci et unus perluculentus apud Lysiam docere possit, ubi Lysias interpretatur verba, quibus Solon esset in legibus usus, quae verba nemo de populo intelligebat: dabo pauca. Est in lege *δεδέσθαι ἐν τῇ ποδοκάκκῃ, τόδ' ἐστιν*, inquit, *ὅ νῦν καλεῖται ἐν τῷ ξύλῳ δεδέσθαι*, deinde *ἐπιορκῆσαι* est *ὀμόσαι, δρασκάζειν ἀποδιδράσκειν, ἀπίλλειν ἀποκλείειν, πεφασμένως* est *φανερῶς, πολεῖσθαι* est *βαδίζειν, τὸ δὲ οἰκῆος θεράποντος*. Nihil igitur antiquius habuere Grammatici quam scriptis commentariis aut lexicis difficultates sermonis antiquioris illustrare. Ingens olim huiusmodi librorum erat copia, quam alii ex aliis auxerunt, interpolarunt, excerpserunt, contraxerunt, deinde iterum auxerunt, unde tandem exstitere illi libri Grammatici, qui ad nos pervenerunt, de quorum fide, auctoritate et usu in veterum scriptis interpretandis apud vos, V. C., pauca disserere animus est et ponere quaedam fundamenta doctrinae, quae lectionem et interpretationem classicorum aliquanto faciet expeditiorem et simpliciorem, discussa nebula, quam isti Grammatici et Grammaticastri offuderunt. Namque caecos et imperitos duces sequuntur et adhuc secuti sunt qui istorum fide stari posse credunt, mihi ex assidua eorum lectione et usu nunc satis compertum est:

primum nihil iis sine teste credendum, ut qui ineptias omne genus inconsulto receperint undique et quisquilias pueriles.

deinde passim eos vitiose scriptis codicibus fuisse in fraudem inductos.

tum plerosque omnes neque ab iudicio multum neque ab eruditione valere: speciem praebere plures multifariae lectionis sed inanem et fallacem.

denique, quod vereor ne videatur absurdum sed mox demonstratum dabo, antiqui sermonis Graeci tam fuisse ignaros, ut hodie tironem pudeat ea commisisse, quae magni nominis Grammaticos deliquisse et errasse liquido constat.

Intelligo me rem esse adgressum immensi operis non autem magnae difficultatis, (nam si verum est quod contendo, argumenta et exempla ubique prostare necesse est, et prostant) vix autem video qui possim horae brevitate, etiamsi summa rerum capita ponam tantum, complecti res et argumenta quibus constare debeat quod mihi sumsi demonstrandum. Recidam primum ea, qua nunc non maxime urgent: nec antiquissimos Grammaticos, quorum libri non extant, neque novitios admodum et recentissimos, qui iisdem utebantur libris quibus hodieque aliquanto melius utimur. Prima mali labes est ea quidem ab antiquissimis repetenda, qui in interpretando tam negligenter et impudenter versabantur, ut assentiaris Athenaeo, dicenti "nihil esset Grammaticis stolidius, nisi forent medici" XV. 666. *εἰ μὴ ἰατροὶ ἦσαν οὐδὲν ἂν ἦν τῶν γραμματικῶν μωρότερον,* quam sit hoc verum facile foret in ipso Athenaeo ostendere, in quo viro est lectionis diffusissimae copia, ingenii, iudicii, verae solidaeque doctrinae *οὐδὲ γρῦ* ut illi dicunt. Defungar uno argumento. legebat Ephori codicem, literis maiusculis scriptum, in quo hoc erat: Spartani in Asiam misere Dercylidam, in quo viro ingenium inerat minime Spartanum sed versutum, callidum, subdolum, ad omne genus fraudis et artium natum et factum, *διὸ καὶ σκύφον αὐτὸν οἱ Λακεδαιμόνιοι προσηγόρευον.* Ain vero? appellant hominum *poculum*, quoniam astu et fraudibus valebat plurimum. Apage ineptias grammatici alias res agentis. Porsonus melius legit illum codicem: IC et K nihil figura differunt in libris antiquis. Sententia loci utrum sit ubique legendum ostendit. Itaque stupore librariorum nil intelligentium ursi appellantur *ἄριστοι*, contra *optimi* solent in codicibus *ἄρκτοι* dici. *Ἄκωπος* apud Hesychium nominatur pro *Αἴσωπος*, idem Hesychius Grammaticorum, ut illi aiunt, doctissimus dedit *κεισιβδηλευμένοι*, quod inter *κεῖσθαι* et *κείσομαι* medium inseruit. Nolite hinc augere Graecitatis copias, *κεκιβδηλευμένοι* satis notum est. Ergo Dercylidas *Σίσυφος* appel-

aut alii explicate persequentur, me meum ingenium et studia revocant ad linguarum observationem, in quibus vita omnis populorum sic expressa est, ut etiam nunc vivant vigeantque illis, quibus haec intelligere et intima mente perscrutari datum est. Quae autem in populo temporum vicissitudines sic mutare solent, ut in uno eodemque nomine homines diversissimi appareant, eadem est sermonis ratio: manet nomen, res subest nomini alia post aliam. Non plus discrepat forma, ingenio, moribus, vita a tenero pueruło lasciviente et ludibundo vir adulta aetate et rerum hominumque usu ad gravitatem et severitatem compositus et senex idem ac decrepitus et delirans in eodem nomine nulli dissimilior quam sibi, qui olim fuerat, quam lingua populi quae ex rudiore antiquitatis ratione civium ingenio et humanitate exculta ad summum elegantiae, venustatis et nitoris culmen in maxima copia et divitiis pervenerit, a se ipsa discrepat quum socordia et stupore popularium sordibus inquinata inepta et malesana et, ut verbo dicam, decrepita et delirans exit ex ore populi desipientis. Per annos plus quam bis millenos Graecitas vivit nobis, habemus monumenta ingenii Graeci nono saeculo ante C. n. condita, affatim superest earum literarum, quae saeculo 13 post C. n. ad posteros sunt propagatae. Saepe et multum questus sum de eorum levitate et temeritate, qui omnia in unam farraginem congesta eodem amore et studio prosequuntur: quantum illi detrimenti bonis literis attulerint afferantque etiam apud vos, v. c., disputavi. Fieri non potest, ut intelligant et persentiscant veteris linguae veneres, qui Graeculorum foetus non dico patienter sed cum aliqua animi oblectatione et sine nausea et fastidio perlegant. Miratur Lobeckius Phrynichum suum, operose et sine ulla venere locutiones Atticas et plebeias ut in musivo opere contexentis v. σύσσημον, p. 418. Audite ipsius verba "hic locus verbis lectis et illustribus distinctus argumento esse potest Phrynichum, si satis spatii ad arma

expediendа habuisset, orationis elegantia et gravitate nulli superiorum cessurum fuisse." Nihil mihi umquam credi facile patiar, si quid est illo loco ieiunius et magis ineptum: quid prodest *Ἀττικώτατα* consarcinare: *τί πάσχουσι, θαυμάσας ἔχω, μέγαν ἄγειν, τὰ ἄκρα τῶν Ἑλλήνων* et *ἐρήμην ὀφλόντα σου τὰ παιδικά*, si locus in quo ista in acervum exstruuntur ne micam quidem habet salis. Est hoc omne genus ita natura comparatum ut periti persentire optime possint, imperitis quale sit explicari non possit, quod dixit in simili re Ruhnkenius. Itaque nihil hoc urgeo, aliud est quod volebam, quo sic deveniam ut ab historico exemplo ordiar. Populus sentit se decrescere, fatiscere vires animi, ingenii dotes deficere, minui animos, male se tueri maiorum laudem, degenerare, consenescere, delirare: pauci fatentur, pauciores admonent, sapientissimus quisque satis videt et frustra se, si solus audeat obniti, omnium invidia arsurum, et nequidquam sese odia et simultates omnium in malo insanabili suscepturum. Atheniensium disciplina labi coepit quo tempore florebat Pericles, iniquius ipse solus huius culpae arguitur, fortasse non satis nascenti luxuriae certam perniciem allaturae obstitit: non attulisse Periclem illam pestem natura rerum clamat. Nemo unus populum facit frugi, nemo unus flectit in vitium. Odiose Plato eo crimine insectatur virum magnum, facetius sed non meliore iure Aristophanes corrupti populi culpam contorquet in Euripidis Tragoedias. Socrates magno animo pestem admonendo avertit sed dum parcit viribus *ὁ εἴρων* et extenuat consulto acute dicta non nisi acutiores advertebant. Praeclare Aristophanes, cuius utinam *Δαιταλῆς* ad nos pervenissent, labentes mores et disciplinam maiorum in ea fabula sic exposuit, ut senem induceret, cuius alter filius optimae frugis antiquis moribus viveret alter nequissimus et novis populi vitiis et flagitiis coopertus. Nondum perierant antiquae artes sed peribant. Egregie civibus placuit audacia poetae. *ὁ σώφρων τε χὠ καταπύγων ἄρισϑ' ἠκουσάτην*, ut laetus ipse canit in

Nubibus. Itaque saepe idem passim inculcat auditoribus ita ut facetissimos iocos misceat tam prudenti consilio, ut nescias utrum haec ridens an moestus scripserit. Moestitia subit animum ubi in Nubibus antiquos mores et novos comparat, et decertant *ὁ δίκαιος λόγος*, virtus maiorum et *ὁ ἄδικος* aequalium callida nequitia. Non semper ridebit qui Equites eo animo releget, ut videat quam caute poëta hoc ulcus tangat et optimas artes maiorum componat cum auditorum, qui in cavea sederent ferme omnium, improbitate, ignavia, stupore. Morose et sine fructu queritur et eiulat Isocrates surdis auribus. Periit libertas, periere spiritus, nemo unus superest Athenis vir magnus et acer animo, Demetrius dixit Poliorceta, indignatus abiectissimam adulationem: *οὐδεὶς Ἀθηναίων ἐπ' ἐμοῦ γέγονε μέγας ἢ ἁδρὸς τὴν ψυχήν.* Athen. VI. 62. incredibile dictu est quam foeda et flagitiosa adulatione isti blanditi fuerint cuius quum exemplum attulisset idem ingenioso, nam fatendum est, et lepidissimo carmine scriptum, sed quod spirat animos abiectos et ignavos civium subiecit: haec igitur cantarunt *οἱ Μαραθωνομάχαι*, qui capitis damnarant legatum, quod oblitus maiestatis populi Attici regem Persarum adorasset. Verum autem erat quod Demades iecerat: civitas nunc, inquit, est vetula anus decrepita sandalis induta et ptisanam sorbens — perire satius erat quam sic vivere. At quam diffitentur omnes turpitudinem, multis modis ipsi ultro arguebant; de quibus unum indicabo, quoniam me ducet quo dudum propero. Nempe omnia personant laudibus maiorum et antiquitatis: quidquid est antiquum praeclarum et eximium habetur. Sordent nova ad haec et iacent. Sermo Graecus, in quo est imago temporum et morum velut in speculo expressa, passim hoc docet: *ἀρχαίως* olim cum contemtu dicebatur, contemnuntur *τὰ ἀρχαῖα*, absona, absurda, inepta sunt: nova omnia sunt in honore. *οὐκ ἀείδω τὰ παλαιά Τὸ πάλαι δ' ἦν Κρόνος ἄρχων Νέος ὁ Ζεὺς βασιλεύει* quum canitur tota theatra applaudunt.

In artibus τὰ παλαιά sunt rudia, inchoata, invenusta, in literis et eloquentia, in sermone, in vita, ubique exploduntur. ἀρχαῖος dicitur urbane pro insulso et stupido. Postea omnia in contrarium verterunt. Nova et novitia apud omnes improbantur. τέχνη παλαιά, βιβλία, συγγράμματα, λόγοι τῶν παλαιῶν in ingenti sunt apud omnes laude et honore; is sibi videtur beatissimus qui proxime ad antiquiorum laudem valeat accedere. Nata est imitatio, ut semper infelix, quae nihil quod vivere et placere possit genuit. Acutissimus quisque fatetur nihil se efficere quod ad antiquorum praestantiam sit exigendum. Erubescunt si sua cum illorum scriptis componunt, veniam deprecantur. Ab eo tempore nata sunt studia philologica antiquitatis, hinc illae bibliothecae et ingens studium regum in conquirendis et impenso pretio coemendis scriptis τῶν παλαιῶν, in haec omnes incumbere, haec legere, meditari, ad imitandum se comparare saeculum erat. At tempora mutaverant linguae usum, iam olim per diversas stirpes et patrias populorum diversum, sic ut diversa oppida in populo eodem uterentur sermone diverso. Non tantum aetates decrimina faciebant ut alio sermone veteres Attici, alio aequales Aristophanis, alio Demosthenis, alio Menandri uterentur, sed uno eodemque tempore in Ionia Herodotus quatuor species dialecti diversas inter sese commemorat, alia erat Mileti dialectus, alia Ephesi, alia Chiorum, Samiorum alia I, 142: ex quam infinita copia ad quantam paupertatem Graecitas redacta est! Iam qui in Graecia libera veterum scripta interpretari solebant plus ingenio et audaci coniectura quam arte et doctrina nitebantur. Ioculare est videre, ut illi Homerum, ut reliquos veteres poëtas soleant explicare, confidenter quod in mentem venit et buccam ut in re certa pronuntiantes. Grammatica ars et interpretandi usus nondum satis constabant et ut quisque erat acutissimus sic optimus habebatur interpres et verborum, quae tamen penitus ignoraret, et sententiarum quas non satis habebat per-

spectas. Quam cito cadere possint quae olim fuerant in honore vocabula, quam prorsus ignorari et alii multi loci et unus perluculentus apud Lysiam docere possit, ubi Lysias interpretatur verba, quibus Solon esset in legibus usus, quae verba nemo de populo intelligebat: dabo pauca. Est in lege δεδέσθαι ἐν τῇ ποδοκάκκῃ, τόδ' ἐστιν, inquit, ὃ νῦν καλεῖται ἐν τῷ ξύλῳ δεδέσθαι, deinde ἐπιορκῆσαι est ὀμόσαι, δρασκάζειν ἀποδιδράσκειν, ἀπίλλειν ἀποκλείειν, πεφασμένως est φανερῶς, πολεῖσθαι est βαδίζειν, τὸ δὲ οἰκῆος θεράποντος. Nihil igitur antiquius habuere Grammatici quam scriptis commentariis aut lexicis difficultates sermonis antiquioris illustrare. Ingens olim huiusmodi librorum erat copia, quam alii ex aliis auxerunt, interpolarunt, excerpserunt, contraxerunt, deinde iterum auxerunt, unde tandem exstitere illi libri Grammatici, qui ad nos pervenerunt, de quorum fide, auctoritate et usu in veterum scriptis interpretandis apud vos, V. C., pauca disserere animus est et ponere quaedam fundamenta doctrinae, quae lectionem et interpretationem classicorum aliquanto faciet expeditiorem et simpliciorem, discussa nebula, quam isti Grammatici et Grammaticastri offuderunt. Namque caecos et imperitos duces sequuntur et adhuc secuti sunt qui istorum fide stari posse credunt, mihi ex assidua eorum lectione et usu nunc satis compertum est:

primum nihil iis sine teste credendum, ut qui ineptias omne genus inconsulto receperint undique et quisquilias pueriles.

deinde passim eos vitiose scriptis codicibus fuisse in fraudem inductos.

tum plerosque omnes neque ab iudicio multum neque ab eruditione valere: speciem praebere plures multifariae lectionis sed inanem et fallacem.

denique, quod vereor ne videatur absurdum sed mox demonstratum dabo, antiqui sermonis Graeci tam fuisse ignaros, ut hodie tironem pudeat ea commisisse, quae magni nominis Grammaticos deliquisse et errasse liquido constat.

Intelligo me rem esse adgressum immensi operis non autem magnae difficultatis, (nam si verum est quod contendo, argumenta et exempla ubique prostare necesse est, et prostant) vix autem video qui possim horae brevitate, etiamsi summa rerum capita ponam tantum, complecti res et argumenta quibus constare debeat quod mihi sumsi demonstrandum. Recidam primum ea, qua nunc non maxime urgent: nec antiquissimos Grammaticos, quorum libri non extant, neque novitios admodum et recentissimos, qui iisdem utebantur libris quibus hodieque aliquanto melius utimur. Prima mali labes est ea quidem ab antiquissimis repetenda, qui in interpretando tam negligenter et impudenter versabantur, ut assentiaris Athenaeo, dicenti "nihil esset Grammaticis stolidius, nisi forent medici" XV. 666. *εἰ μὴ ἰατροὶ ἦσαν οὐδὲν ἂν ἦν τῶν γραμματικῶν μωρότερον,* quam sit hoc verum facile foret in ipso Athenaeo ostendere, in quo viro est lectionis diffusissimae copia, ingenii, iudicii, verae solidaeque doctrinae *οὐδὲ γρῦ* ut illi dicunt. Defungar uno argumento. legebat Ephori codicem, literis maiusculis scriptum, in quo hoc erat: Spartani in Asiam misere Dercylidam, in quo viro ingenium inerat minime Spartanum sed versutum, callidum, subdolum, ad omne genus fraudis et artium natum et factum, *διὸ καὶ σκύφον αὐτὸν οἱ Λακεδαιμόνιοι προσηγόρευον.* Ain vero? appellant hominum *poculum*, quoniam astu et fraudibus valebat plurimum. Apage ineptias grammatici alias res agentis. Porsonus melius legit illum codicem: IC et K nihil figura differunt in libris antiquis. Sententia loci utrum sit ubique legendum ostendit. Itaque stupore librariorum nil intelligentium ursi appellantur *ἄριστοι,* contra *optimi* solent in codicibus *ἄρκτοι* dici. *Ἄκωπος* apud Hesychium nominatur pro *Αἴσωπος,* idem Hesychius Grammaticorum, ut illi aiunt, doctissimus dedit *κεισιβδηλευμένοι*, quod inter *κεῖσθαι* et *κίσσηρι* medium inseruit. Nolite hinc augere Graecitatis copias, *κεκιβδηλευμένοι* satis notum est. Ergo Dercylidas *Σίσυφος* appel-

labatur. at vitiosi sunt Athenaei codices, inquies. Nihil est quo abscondat caput: agit multis de nomine σκύφος, alios ex aliis affert auctores, ubi σκύφος legatur, denique subiungit ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Δερκυλίδας σκύφος et sic laudat Ephori locum. Similia ex eodem, similia ex antiquiorum ὑπομνήμασιν et λέξεσιν sat multa possunt levitatis et temeritatis expromi documenta. Doctissimos commentarios hodie habemus in Pindarum, Apollonium Rhodium, Aristophanem: horum ea est ratio ut multa insint ab antiquissimis Grammaticis profecta sed contorta, confusa, permixta et interpolata annotationibus alienis cuiuslibet aetatis et pretii. Utar nunc uno exemplo ex Aristophanis scholiastis. Lycophron primus regnante Ptolemaeo Philadelpho comoedias Atticas commentario illustravit; quam temere et inscite hi loci ostendent: in Vespis vs. 91 nesciebat quid esset παιπάλη, 103 δορπηστός ei est ἄριστον, quum constet significare δεῖπνον, 239 turpiter erravit in verbis ἥψομεν τοῦ κορκόρου impudenter annotavit esse genus pisciculorum. Satis constat esse genus oleris agrestis in Peloponneso; ne Graecum quidem est τοῦ κορκόρου, si sunt pisciculi minuti τῶν κορκόρων debebat.

Athenaeus ipse traducit Grammaticos qui quum quid nescirent defunctorie annotabant esse speciem arboris, herbae genus, plantam quamdam, δένδρον ποιόν, βοτάνη ποιά, φυτὸν ποιόν et sic aliquid dixisse videbantur: hoc igitur genus tantum attingam: etiam recentissimos non morabor, facile videatur Thomam Magistrum traducere et Moschopulum ridere et Gregorii Corinthii errores et ineptias exagitare, hos igitur omnes et caeteros huiusmodi homunciones infimi subsellii ne nomino quidem et optime de literis actum esse arbitrabor, ubi istorum scriptiunculae ab omnibus erunt contemtae et laudari desitae, possunt bonae horae melius collocari. Cum omnibus reliquis mihi res in quibus ὑπομνήματα et λέξεις veterum cuiusque aetatis additamentis auctae, et novis itidem detrimentis imminutae et corruptae ad nos pervenerunt. Sed primum omnium mihi video diligenter occurren-

dum esse nonnullorum reprehensioni, quibus videri possem cum stercore gemmas egerere et abiicere velle; esse enim in illis commentariis et Lexicis infinitam copiam rerum, quas opimas et aureas solis debemus illis, qui haec condiderunt an consarcinarunt. Tantum abest ut illa contemnam, ut in Grammaticis legendis et excutiendis aetatem contriverim idemque posthac facturus sim neque tamen propterea mihi plerique horum perdocti aut eruditi videntur. Multa afferunt sibi non intellecta, multa perperam laudant a proposito aliena dum omittunt meliora: deinde quod maximum est, non bona fide eum apparatum doctrinae nobis apponunt, sed furtim aliis sublectum aut impudenter compilatum. Non est exscribendi finis dum alter alterum ad verbum in suos scil. libros transfundit, unde factum est ut quid afferant ipsi non intelligant: in quo genere quousque impudentia eorum et inscitia procedere possit necesse est exemplis demonstrare. Utar Pollucis Lexico, quod sanequam doctum et opimum esse omnibus videtur, in quo opere locus est de Graecorum nummis lib. IX. O utinam centesima pars nobis superesset eorum librorum, quibus Pollux Romae abundabat: locum hunc omnibus numeris absolutum haberemus: ille corradit nonnihil sine ordine: quam inepte nunc ostendam. Est, inquit, apud Athenienses nummus dictus κόρη, cuius meminit Hyperides sic: puellula ex aede Dianae surripuerat aliquid ex donariis. Iudices, ei proponunt κόρην et τετράδραχμον, idque ἐπὶ πεῖρᾳ συνέσεως, ut experimentum intelligentiae esset: puella τὸ τετράδραχμον maluit itaque visa est posse τὸ κέρδος διακρίνειν et dedit poenas. O lepidum hominem, qui haec ita accipit! κόρη est *pupa*, oblectamentum puellularum apud omnes populos. non esse hunc usum vocis obscurum aut rarum Ruhnkenius ad Timaeum doceat: poterat si quis forte nesciret, ex hoc uno loco certo sciri: nil subolet Grammatico, qui operose affert ex Euripide locum ex Satyrico dramate, ubi dicuntur meretriculae Corinthiae amare multum cives Atticos si

sibi multas afferant παρθένους. Itaque, inquit, ut παρθένοι sic κόραι sunt Attici nummi, signati nota Palladis: hoc demum est sapere. Nesciebat iste, quod hodie nemo nescit philologus, notam tetradrachmi esse Palladem: itaque iudices, qui puellulae tetradrachmi et alterius tetradrachmi optionem dedisse dicuntur, nihilo erant Polluce saniores. Ut ergo istic Hyperidis locum et Euripidis iocosum fragmentum laeti accipimus, Grammaticum ridemus, qui tam inepte utatur, sic passim ex mediis ineptiis et nugis colligimus aureas antiquitatis reliquias, quibus isti undecumque sumtis utcumque utuntur. Optimum autem factum, si manum abstinent et intacta et inviolata ad nos propagant quae sine iudicio alicunde corraserunt, ubi enim suo Marte refingunt solent omnia pessumdare. Exstat epigramma pervetus ab ipsis Cypselidis Corinthi tyrannis inscriptum Jovis statuae, quam ex solido auro Olympiae posuere, nobilissimum Κυψελιδῶν ἀνάθημα, quod nunc stupore Grammaticorum nihil est nisi malesani hominis deliramentum. Feram opem et apparebit quales sint isti testes antiquitatis.

Αὐτὸς ἐγὼ χρυσοῦς σφυρήλατός εἰμι κολοσσός
ἐξώλης εἴη Κυψελιδῶν γενεά.

exstat epigramma in doctissima annotatione apud Suidam, qui compilavit scrinia Photii, qui descripsit ex vetusto commentario in Platonis Phaedrum. At quale est epigramma: ipse sum colossus ex solido auro, dispereat Cypselidarum omne genus. Suntne haec delirantis et malesani, an non sunt? Propero ex his nugis emergere. Αὐτός quod nihili est, etiamsi caetera constarent (nam cur dicit se *ipsum* esse ex auro, nemo de vicinis statuis cogitabit) est ex penu Suidae, qui apud Photium legerat εἰμὶ ἐγὼ κτἑ. εἰμί eum male habuit, nec mirum, cur inepte repetitur, cur laeditur Graecitas, cur metrum violatur? in ea tamen scriptura sunt nobis omnia, nam nullo negotio eruitur ipsa veteris statuae inscriptio

sic ut omnibus malis medearis optime, si unam literulam ex certa palaeographiae ratione emendaveris: *η* et *ι* millies confusa tantas turbas dederunt. Cypselidae sic fuerant iocati:

Εἰ μὴ ἐγὼ χρυσοῦς σφυρήλατός εἰμι κολοσσός
ἐξώλης εἴη Κυψελιδῶν γενεά.

ut est in Latinis: dispeream si te mater amare potest, et *ἀπολοίμην εἴ σε δέδοικα*, aut

εἴ σε μὴ μισῶ γενοίμην ἐν Κρατίνου κώδιον,

et passim in huiusmodi faceta negatione vel asseveratione. Videte igitur quid iste designaverit qui *αὐτός* ex *εἰμί* ausus sit refingere. cogitandum autem est quam facile ista ludificatio in perpetuum nos latere potuisset. Ni Photiani Lexici exemplar unicum in Anglia patrum nostrorum aetate esset editum, philologi saniores Epigramma Cypselidarum habuissent nodum inextricabilem et crucem perpetuam, reliqui quod multo peius est explicuissent et satis tolerabilem sensum elicuissent scilicet. Eiusdemmodi error in loco quodam Diogenis Laertii commissus et correctus satis omne hoc genus aperiet. Iubet philosophus Bias, unus de septem: *οἰκέτην πάροινον μὴ κόλαζε, δόξεις γὰρ μεθύειν*, arena est sine calce: noli servum ebrium punire, nam ebrius esse videberis; nemo haec sobrius scribere potest. quid multa? *πάροινον* dissecandum erat bifariam, ut esset, inter pocula, *παρ' οἶνον*, idque vere et utiliter ille cives suos admonebat, qui solebant facile in vino irritari servulis, quemadmodum Romanus ille apud Martialem, qui malebat servum scindere quam leporem. Grammaticus aliquis locum describit et pro *πάροινον* dedit *μέθυσον*, ex levi morbo insanabile malum, ut videtis, intulit. Contrarii generis error est grammaticorum non minus veterum monumentis perniciosus, quem nunc dicam. Quum lectio olim depravata nacta est Grammaticos patronos videri solet satis firmo praesidio niti et emendari non potest. Saepius diximus et nunc demon-

strabimus corruptas scripturas passim Grammaticis imposuisse, quas modo bona fide arripiunt et nihil mali suspicantes utuntur pro sincerissimis, modo interpretatione arbitraria pro imperio explicant, unde corruptela fere fit immortalis. Etiam hoc quale sit primum exemplo luculento ostendam, deinde quam late pateat indicabo. Dicuntur Herodoto VI. 57. Spartanorum reges ius dicere *πατρούχου παρθένυ πέρι ἐς τὸν ἱκνέεται ἔχειν ἢν μὴ ὁ πατὴρ αὐτὴν ἐγγυήσῃ.* Grammatici certatim explicant quae sit *παρθένος πατροῦχος*, nempe filia unica est, ad quam post mortem utriusque parentis pervenit tota hereditas. Atticis *ἐπίκληρος* dici solet. Esse hunc sensum loci Herodotei res ipsa clamat, sed quid quaeso est, quod ea virgo dicatur *πατροῦχος*. Ratio huius compositionis satis, opinor, certa est et exemplis confirmata in *πολιοῦχος, κληροῦχος, σκηπτοῦχος, ῥαβδοῦχος, αἰγίοχος, ἡνίοχος* alia, quae significare debent et significant *ἔχων* an *ἔχουσα πόλιν, κλῆρον, σκηπτὸν ῥάβδον* etc. Itaque *πατροῦχος* quod debet significare *habens patrem*, nunc repente ponitur pro ea, quae patre sit orba. Dicam quod sentio: si ea esset ratio Graecitatis satius esset totum hoc studium abiicere, quod multo magis ingenium pervertet, obtundet iudicium, occaecabit animum, quam quidquam cuiquam proderit, sed salva res est, Herodotus emendabitur, vapulabunt Grammatici et minore fide utentur: subest verbum priscum *πέπαμαι* unde *πᾶμα, πολυπάμων, ἐπιπαμάτις*, alia multa: unde *πάμωχος* forma Dorica, quae Jonibus *παμοῦχος* audiebat, quaeque ipsa Herodoto reddenda est. Ex veteri *λέξει* Herodoti ea glossa irrepsit in Timaei Lexicon Platonicum, inde Photius exscribit, quem de more compilavit Suidas. Ex eodem Timaeo manavit in Scholia ad Leges, sic quatuor fiunt testes ex uno, sed leves et futiles et cum contemtu dimittendi, etiamsi sexcenti forent. Facile est exempla cumulare sed non est huius temporis et ubi locus dabitur expromentur. Mirabile dictu, dixerit aliquis, si ea est grammaticorum levitas, eos tanta apud omnes florere auctoritate.

Mirabile esse non nego: imo addam quae movebunt mirationem etiam maiorem. Perspexit olim princeps Criticorum quam esset nihili ea auctoritas et, qua erat constantia animi, quod nemo erat ausus, propalam et alta voce pronuntiavit. Res eum ad Hesychium detulerat, aperuit vanitatem hominis et vecordiam incredibilem et sic aperuit, ut malevoli et invidi obtrectatores, quos plurimos nactus est ubique, ne hiscere quidem contra auderent. Ferreus sit necesse est qui sine magna indignatione perlegat longam seriem turpissimorum errorum, quos crisis Bentleiana Hesychio obiicit et manifesto arguit. Applausum est undique: satis erit Ruhnkenium nominasse, clementissimi ingenii et circumspecti iudicii criticum, qui scribit ad severum critices tribunal citatum Hesychium, cui satis diuturna peccatorum impunitas obtigisset. Est operae pretium etiam haec ex Ruhnkenio apponere, quae mox nobis erunt usui. "Equidem Scaligerum, Casaubonum, Salmasium horumque similes arbitror saepenumero sic secum cogitasse: monstra loquitur Grammaticus, gravissime errat, deceptus est literarum similitudine, truncavit vocem — sed magni illi viri quae sentirent palam dicere non audebant, sive Grammatici auctoritate deterriti, sive clamoribus semidoctorum semper obstrepentium doctioribus nec satis aequo animo ferentium ipsum Hesychium in ordinem cogi," duo exempla audite errorum, unde coniectura fiat de caeteris, ἄωςον dicit *optimum* significare, pro λῷςον, contra λάϊρος ei est *immatura morte raptus*, pro ἄωρος, meministis me supra afferre ex eodem κεισιβδηλευμένοι pro κεκιβδ. Scatet talibus et nemo ante Bentleium vidit, certe ausus est dicere. Quid autem est quod dicebam magis etiam esse mirabile? nempe omnium Grammaticorum eadem est ratio, quam in Hesychio Bentleius demonstravit: quod in Hesychio uno vident omnes, idem omnes in caeteris praetervident. Augeae est stabulum: aut sunt quisquiliae nullius omnino momenti nec pretii, aut scripturae vitiosae, aut doctrina praepostera, ea denique omnia

quae ab initio disserui, de qua re nunc quia satis mihi viam munivisse videor paulo pressius disputabo. Communem esse aio hanc Grammaticorum labem, itaque in quocunque Grammatico ostendere sum paratus et rogatus posthac faciam. Nunc quia mihi optio datur, eum sumam qui in argumento certo et perspicuo et nobis aperto λέξιν edidit, certa aetate, non magno opere corruptam aut accisam aut interpolatam, λέξιν dico ῥητορικήν quam multo labore creditur confecisse Harpocration. At ille, ut plerique, non multum exhausit aerumnarum, pleraque ex Didymo describens, nonnulla e Diogeniano accumulans, ubi deserit duces suos, in errores se implicans; in v. ἐξένιζε recte Didymus explicuit locum Demosthenis πρὸς Εὐβουλίδην. Harpocration sibi ait videri ξενίζειν esse peregrinum esse, non ad orationem pertinere ab Attico usu recedentem, si perlegisset locum, vidisset οὐδεὶς τὸν ξενίζοντα ᾐτιάσατο ὡς εἴη ξένος et abstinuisset a futili annotatione, qua constans usus Atticorum violetur. Mirabile adeo est Graecis opus fuisse magistro, qui doceret quid esset ξενίζειν; ut multo magis puerilia apud Harpocrationem leguntur: docet serio Ἀγοράσαι esse *emere*, ἀπαγορεύειν deficere, δι' ἐνιαυτοῦ esse per totum annum, centena sunt huiusmodi. Lepidiora sunt etiam quae in nominibus propriis annotare solet; in docto Lexico antiquo ad Γύλιππος, Δημαίνετος, Δημοφάνης, Διότιμος, Διόφαντος, Ἑκατόμνως alia centena nihil aliud adnotavit nisi: nomen proprium, ὄνομα κύριον. Nae illi fecerunt operae pretium, qui Demosthenis lectionem interruperunt, ut in Lexico X oratorum quaererent, quis Γύλιππος esset aut Ἑκατόμνως aut caeteri. Si quid addit, solet aut putidum esse aut nihili aut falsum. Γλυκέρα est teste Harpocratione meretrix quaedam, Ἄρθμιος, servus regis Persarum, at ubicumque apud Demosthenem et Aeschinem nominatur Ἄρθμιος ὁ Ζελείτης additur fuisse servum regis Persarum, qui venerit Graecos pecunia corruptum. Δερκυλίδας audit rex Spartanorum, at Sisyphus noster, de quo supra diximus, non rex erat sed ἁρμοστής

fuit in Asia, quod quis erat docendus? Sequitur ut ostendam Harpocrationem in levissimis rebus versantem etiam turpiter vitiosis scripturis decipi, ut omnes. Serio annotat Ἤειμεν esse *sciebamus*, ne quid ab librariis erratum putes, inter Ἡδύλειον et ἢ ἐν ὁδῷ καθελὼν positum est: vel sic tamen *sciebamus* est ᾔσμεν Atticis, qui constanter olim ᾔστην, ᾔσμεν, ᾔστε et ᾔσαν dicebant. Pueri hoc sciunt. Harpocration tamen quum invenisset ΗΣΜΕΝ significare ᾔδειμεν non sprevit et turpiter lapsus dedit formam barbaram. Saepius alibi idem non sensit imponi sibi ab librariis et bona fide ineptias recipit et sua auctoritate etiam nunc confirmat. ἐν βραχεῖ, si quid ei credis, significat ἁπλῶς; aperte fallitur, ἐν βραχεῖ est *cito*, *brevi*: ἁπλῶς Atticis est ἐμβραχυ, quod passim ob scribarum inscitiam abiit in ἐν βραχεῖ, quod tuetur futilis Grammaticorum auctoritas, idem mox scribit ἐνδεκάζειν esse ἐνεορτάζειν et una celebrare τὴν δεκάτην, laudato Demosthenis loco in oratione κατὰ Θεοκρίνο, de praevaricatoribus qui in iudicio in festos se reo esse simulant mox τοῖς αὐτοῖς τούτοις ἐνδεκάζοντες. Equidem etiam hic optimum quemque ita secum cogitare arbitror: monstra loquitur Grammaticus, apertissime errat — sed nemo imitatur Bentleium. Scripsit Demosthenes συνδεκάζοντες, quod reponendum etiamsi sexcenti Grammatici huius farinae obloquentur. Festinandum mihi esse intelligo, itaque duo tantum addam exempla, ubi Harpocration crisin exercet, sanequam mirabilem. Scatebant iam tum codices mendis et vitiis, quod non poterant illi ignorare: itaque periclitantur emendationem, quam incepte et imperite ipsi iudicabitis. In loco Dinarchi scriptum erat: ὅταν κλιμάζῃ καὶ παράγῃ τοὺς νόμους. Harpocration v. κλιμάζῃ. Κλιμάζειν non est Graecum ac prorsus nihili; arguit sensus loci significare debere *leges detorquere et pervertere*. Harpocration ad coniecturam faciendam se accingit et scribit: fortasse scribendum est βλιμάζῃ — μήποτε δεῖ γράφειν βλιμάζῃ. quid esset βλιμάζειν homo bonus quamquam ipse supra in docto Lexico

alicunde descriptum dederat, tamen iuxta cum ignarissimis nesciebat. Verbum est nequitiae amatoriae frequens in Comoedia Romana, ubi *subagitare* dicitur. Novum est igitur impudicitiae genus si quis leges dicetur subagitare. Dicam quid Dinarchus scripserit: nihil coniectura opus est, sed accipite novum vecordiae Grammaticorum documentum ex Lexico Photiano. Photius unus omnium aequalium, ut fama est, acutissimus, Lexicon condidit, more pervulgato: de suo nihil, impudenter describit alios, in his ipsum Harpocrationem: itaque in v. κλιμάζῃ scribit: fortasse est legendum βλιμάζῃ, verbo omnia quae illic invenit fideliter descripsit. At idem in alio Lexico haec reperta dedit: κλίμαξ est genus quaestionis servilis, hinc κλιμακίζειν est torquere, Dinarchus: ὅταν κλιμακίζῃ τοὺς νόμους. Non vidi magis. Ite nunc et Grammaticis habete fidem. Unum addam ex Harp. v. ἀπρότων. ex Dinarcho affert: τῶν ῥητόρων ἐμπεπηδηκότων ὥσπερ ἀπρότων εἰς τὸ ἐμπόριον. Ἀπρότων nihili est et indicio esse potest quam misere iam olim codices fuerint depravati. Harpocration feret opem: fortasse, inquit, est librarii error et legendum ὥσπερ ἀλησίπων. Sardi venales, dicetis, alius alio nequior, at salva res est: emersit vera scriptura, undenam? ex ipso Harpocratione, qui statim subiungit: esse in quibusdam codd. ὥσπερ παρνόπων. hoc verum et venustum est, Grammaticus οἴνου παρόντος ὄξος ἠράσθη λαβεῖν ac fruatur suo iudicio. Imo vero omnes fruantur quod ament, ea lege ut ne nostra studia impediant amplius sed veluti larva detracta aut leonina pelle contemni se aequis animis patiantur. Aliquamdiu iam est, ex quo desiere apud prudentiores historiam et antiquitatem corrumpere posse: princeps Bakius perspexit et demonstrare saepe solet quam sint in his omnibus plumbei, quam contemnendi. Ulterius etiam progrediendum: ne in verbis quidem, ubi regnare videntur, qui sapiunt quidquam illis sine teste credent, et quidquid scribunt utcumque confidenter affirmant verum sit nec ne, probum et

utile an secus nostrum erit semper et ubique iudicium, qua in re (utar verbis Ruhnkenianis) plus bonis literis proderit docta et acuta audacia, quam iners et superstitiosa multorum, qui Critici dici haberique volunt, religio.

DIXI.

